

LUGD. BATAVORUM,
Apud Franciſcum Hackium. *A°* 1655.

Nobiliſſimis & Ampliſſimis

GYMNASII
TETRARCHIÆ
NEOMAGENSIS
CURATORIBUS.

Cauſa quę me impulit cur vobis hoc opuſculum levidenſe, inſcribendum putarim, præter omnem expectationem ſe mihi obtulit & reperta potius

tius quam quæſita fuit. Dum enim, nuper admodum, ex Academia Hardervicena Lugdunum Batavorum evocatus eſſem, interea novum in florentiſſima Neomagenſium urbe Gymnaſium fundari, vix citius ad nos communis fama ferebat, quam

Ve-

Veſtræ ad me literæ, honoris & affectus plenæ, confirmabant, quibus duplicem magna inſtantia Profeſſionem offerebatis. Quod ut inexpectatum mihi accidit, ita tantorum virorum judicio ad novi Gymnaſii fundamenta quaſi ponenda cum aliis

me electum, non potuit non eſſe gratiſſimum. Cæterùm cum eodem tempore hoc opuſculum Typographus abſolviſſet & ut moris de inſcriptione ageretur, Veſtræ literæ non diu ambigere me ſiverunt. Quibus enim potius debeantur ſchediaſma-

mata quædam in Gelria nata, & magnam partem de Gelrorum urbibus rebuſque agentia, quam primariæ ejus gentis urbi, quam celeberrimo Batavorum oppido, quam novi Gymnaſii Curatoribus? Equidem non poſſum non magnopere probare

illorum Magiſtratuum laudabilem curam & induſtriam, qui cum hoc ſeculo Martiali & confuſionum pleno, humaniores diſciplinæ paulatim exſtinguantur & omnia in antiquam barbariem vergant, de ſcholis ac Gymnaſiis multiplicandis cogitant,

tant, quo Muſæ, quæ conſilio non poſſunt, impetu ſiſtantur ac præclara ingenia, ſi quæ reſtant, ſpe præmiorum excitata, in illis velut ſeminariis ad meliora tempora & ad poſteritatem conſerventur.

Acceſſit & alterum ſummi Ve-

ſtri erga me affe-
ctus argumentum,
quod difficillimo
anni tempore, tot,
cætera, publicis
diſtricti negotiis,
Lugdunum Bata-
vorum inviſere &
coram mecum de
laudabili propo-
ſito Tetrarchiæ
Neomagenſis age-
re volueritis. Qua
extraordinaria hu-
ma-

manitate eam mihi neceſſitudinem impoſuiſtis, ut ingrati crimen evitare non poſſim niſi publico quantum vobis propterea obſtrictus ſim, monumento teſtatum relinquam. Nihil illud quidem Veſtris dignationibus addere poteſt. Sed munuſculi tenui-

nuitatem animi erga vos mei, obſervantia, ſtudium, cultus, utcunque compenſabunt.

Nobiliſſimi & Ampliſſimi
DOMINI,

DEVS Opt. Max. vos diutiſſimè bono Reip. ac Literarum conſervet, Veſtraque conſilia

lia omnia clementer ſecundet. Scriptum Lugd. Bat. Kal. Jan. cIↄ Iↄ c LV.

LE-

LECTORI BENEVOLO SALUTEM.

HÆc quæ vides, Amice Lector, Academica exercitia fuerunt, diverſis temporibus in uſum ſtudioſæ juventutis Hardervici publico examini, ut moris eſſe ſolet, ſubjecta; nec quod tanti putarem ut iis careri non poſſet, recuſa, ſed quibuſdam ita flagitantibus quorum voluntati obſequens, quam moroſè reluctans eſſe malui. Quid alii de hoc genere ſcriptionum ſtatuant, meum nunc non eſt examinare: id unum profiteor, quemadmodum ferè tumultuario opere naſcuntur, ita Lectorem minus attentum & faſtidioſum requirunt. Sunt enim ferè fragmenta quædam & ἀποσπασμάτια Hiſtorica, ut ſub manus veniebant, ad uſus ſubitaneos collecta, adeoque: In tenui labor eſt. In Gelricis Pontani fidem ſecutus ſum. In cæteris

teris probatiſſimorum authoritatem: ſed à citatione fere abſtinui, quod in Hiſtoricis ea otioſa eſſe ſoleat, niſi ubi controvertunt & inter ſe diſcordant ipſi ſcriptores. Neque vero *mea ſunt omnia; ſed aliqua adſcita propter argumenti ſimilitudinem. Qualis eſt Diſſertatio* XVI. *de* Origine & Conſtitutione Reip. *Belgicæ*, ab Illuſtriſſimo & verè Generoſo *Domino* WILHELMO ADRIANO, *Comite de* HORNES, *non minus eleganter conſcripta quam eloquenter & judicioſe aſſerta. Sic de Ariſtocratia* Theodorus Adolphus à Reck zur Horſt, *de* Ephoris Bernhardus à VVelderen, *Iuvenes* Nobiliſſimi & Ornatiſſimi, & *alii nonnulli ad materiam de* Tyrannide *operam ſuam & induſtriam, contulerunt. Adjeci, Typographo petente, alia quædam ejuſdem ferè argumenti, imprimis ſpecimen Hiſtoriæ Americanæ ante adventum Hiſpanorum, quam integram aliquando, ubi* DEVS *otium & facultatem indulſerit, tibi exhibebimus.*

Collegi

Collegi enim jamdudum omnia ejus orbis quæ ſuperſunt, monumentorum fragmenta & multa obliterata penitus aliiſque neglecta obſervavi, ex quibus antiquitates illarum gentium tot ſeculis ignoratarum & res geſtæ, quantum fieri poteſt, reſtituantur. Ad Saracenica Drechſleri mirum in modum depravata & corrupta, breves adjeci notas errorum indices, quibus Orientalium Hiſtoriæ hinc inde illuſtrentur. Neque enim operæpretium erat in hoc opuſculo, vel prolixiorem eſſe vel accuratiorem, id quod Chronologiæ noſtræ Regiæ ex profeſſo & cum cura reſervamus. Vale, Lector Benevole, & his, qualiacunque ſint, interea fruere.

GEORGII HORNII
DISSERTATIONUM HISTORICARUM ET POLITICARUM PRIMA.

DE DUCATU CELRIAE.

1. INter omnes Germaniæ regiones, Illuſtriſſimus GELRIAE Ducatus, ac ZUTPHANIAE Comitatus, ſitu commodo,& natura loci atque ingenio muniti,ab omni parte, vel Oceanum invadentibus, vel ampliſſima opponunt flumina. Quod inter arcanas Auguſti curas fuit, *mari,Oceano, aut amnibus longinquis ſeptum Imperium*, terminare. Nam ingens id Reipublicæ, & contra hoſtes præſidium eſt,& ad mercaturam nauticamque rem, ſingulare adjumentum.

2. Quatuor omnino, illud quod hodie

Gelriam *Zutphaniam*que vocamus ſolum, antiquiſſimo ævo gentes inſedêre, *Vſipetes*, *Tencteri*, *Menapii*, *Sicambri*. De quibus id in univerſum conſtat, fortiſſimos bello fuiſſe, ac Romanis formidabiles; Nam *à* I*ↄ* *Sicambris*, *quinque Julianorum Equitum millia fugata*, Appianus teſtatur.

3. Circa A.Ch.CCC *Sicambri* & quicquid Vahalim inter ac Iſalam gentium erat, in *Francorum*, novum & hactenus inauditum nomen, conceſſêre. Ibi prima Francici regni ſedes fuit atque origo: ibi *Terra Salica*, quæ *Salicæ* Legi, cujus tam venerabile in Gallia nomen, originem dedit. Poſtea ſub Meroveo transgreſſi Rhenum Franci, & in Gallias effuſi, potentiſſimo, quod nunc eſt, Europæ regno, cujus tum Gelria pars, nomen initiumque dedêre.

4. Jam Iↄ fere ſub Francis annos Gelria exegerat, cum ZUTPHANIAE Comitatus exortus eſt. De cujus tamen origine certi nihil conſtat. Primam ejus mentionem Lotharii I. Imp. tempora, Circa A.Ch.IↄCCCL faciunt. Series quoque Comitum interrupta eſt, cum præter Wichmannum & Gerlacum, qui ex ultimis fuerunt, nullos, quod certo conſtet, ad nos antiquitas tranſmiſerit.

5. Nec

5. Nec diu poſt, ipſum GELRIAE nomen, ſub Ludovico II. Auſtraſiæ Rege emerſit. Qui ex nobili *Pontiorum* familia, ſuis ad Moſam Vahalimque ditionibus, Wichardum, bello virtutibuſque ſpectabilem virum, impoſuit. Isque fundato caſtro *Gelre*, & eam Præfecturæ ſedem, & Provinciæ impoſterum caput eſſe juſſit.

6. Reſpublica GELRIAE, ab A. Ch. IↃCCCLXIX, adhæc uſque tempora, per IↃCCLXXIX annos floruit. Eaque vel *Principum* Imperio, vel *Populi* gubernata fuit.

7. PRINCIPUM poteſtas annorum IↃCCXVII fuit: eaque in *Præfectos*, *Comites*, *Duces*, diſtributa. PRAEFECTI numerantur VIII, quorum ex *Pontia* familia ſeptem: *Wichardus* I. *Gerlacus*, *Godefredus*, *Wichardus* II. *Megengaudus* ſive *Mengoſus*, *Widechinus*, *Wichardus* III. Cujus unica, quam reliquerat, Adelheidis filia, *Ottoni* Naſſaviæ Comiti nupta, ex Illuſtriſſima illa familia, complures longa ſerie Principes dedit. Iſque primus ab Henrico IV. Imp. *Comes* Gelriæ in Francofurtenſibus Comitiis creatus eſt. A. Ch. CIↃLXIV: COMITES ex Naſſaviis omnes, novem fuerunt, *Otto* I. *Gerhardus* I. *Henricus*, *Gerhardus* II.

Otto II. *Gerhardus* III. *Otto* III. *Reinaldus* I. *Reinaldus* II. Qui à Ludovico IV. Imp. Francofurti *Dux* creatus, debitum virtuti ſuæ præmium, ſummam in Imperio dignationem, obtinuit. DVCVM, qui XIII, non una, ſed diverſæ, ac quinque omnino familiæ, Naſſavica, Juliacenſis, Egmondana, Burgundica, Auſtriaca, fuerunt: nec ſemper ordine, ſed ut rebus turbatis; per vices imperatum. Ex Naſſaviis *Reinaldus* II. *Reinaldus* III. *Eduardus* I. Ex Juliaca *Guilhelmus* I. *Reinaldus* IV. Ex Egmondana *Arnaldus* & *Adolphus*. Ex Burgundica, *Carolus* Audax. Ex Auſtriaca, *Maximilianus* I. Tum denuo ex Egmontiis *Carolus* I. ex Juliacenſi *Guilhelmus* II. Poſt quem iterum Auſtriaci, *Carolus* V. & *Philippus* II. ultimus Principum Gelriæ. Status LIBERTATIS, ſub *Ordinum* Imperio, ab anno CIↃ. IↃ LXXXI. ad noſtra, per LXVII. annos, continuatus fuit, tempora.

8. Jam quibus Gelria *incrementis*, & per quas ſuccreverit rationes tum terrarum acceſſione, tum æſtimio ac authoritate; videndum eſt. Ac prius quidem quod ſpectat, quatuor omnino mediis: ampla *terrarum acceſſione* aucta fuit, conjugio, emtione, armis, & fide erga

Impe-

Imperium. *Conjugio* Ottonis I. Naſſavii, cum Sophia, Wichmanni ultimi Zutphanienſium Comitis filia, ampliſſimus ille & antiquiſſimus Gelriæ conjunctus eſt Comitatus. *Emtione*, ſub Henrico I. *Velavia*, ſub Ottone III. *Betavia* acceſſêre. *Armis*, multa paſſim oppida ditionibus adjecta. *Fide* erga Imperium, jus in Friſiam, aliquot Imperatorum indultu, obtentum. *Æſtimium* vero apud exteros multum crevit, illis, tot Principum cum Rege Franciæ, Angliæ, Daniæ, aliiſque, fœderibus ac mutuis auxiliis. Quo etiam acceſſit urbium Gelricarum, Neomagi, Zutphaniæ, Ruremondæ, Arenaci, Bommeliæ, Venloæ, Hardervici, Elburgæ, cum Anſeaticis unio, magnum omnino ad maris Imperium ac commerciorum libertatem, adjumentum.

9. Ita inſtitutam auctamque Rempublicam, non minoris curæ ac laboris erat, per tot ſecula conſervare. Præcipuum ejus rei momentum in *Religione* fuit, cujus magni ſemper extitêre aſſertores, qui Rempublicam gubernabant. Acceſſit *cura Legum* & *juſtitiæ*: tum, quod ingens ac incomparabile bonum, tot per Provincias artium *Scholæ* ac linguarum capaciſſima omni ævo Eccleſiis & Rei

publicæ ingenia, ſuppeditarunt. Quibus tandem Ducalis hæc atque Comitatenſis acceſſit *Academia*, ſapientiſſimo Ordinum conſilio ac conſenſu in hac urbe fundata: tempore ultima, dignitate inter fœderati Belgii alias, ſuo jure non poſtrema.

10. Bella ſubinde gerenda fuerunt, tum *externa*, tum, quod miſerrimum eſſe ſolet, *interna* atque civilia. Et *externa* quidem, duûm erant generum. Vel enim pro *Imperio*, vel pro *Libertate*, pugnatum. Pro *Imperio* & limitibus crebræ contra Clivios, Brabantos, Ultrajectinos, Hollandos, expeditiones ſuſceptæ. Nimirum, *una ea & vetus bellandi cauſa eſt, profunda cupido Imperii & divitiarum*. Et cum ipſo pene humano genere ea opinio cœpit, *ſua retinere privatæ domus: de alienis certare, regiam laudem eſſe*. Pro *libertate* contra Burgundos & Auſtriacos, integro ferè ſeculo arma circumlata. Nec ullum juſtius bellum geri potuit, Auſtriacis per vim, obtentu iniquiſſimæ emtionis, Gelriam invadentibus.

11. At *Civilibus bellis* cauſam originemque dedêre factiones nobilium familiarum atque potentum. Quibus cum ſe duo fratres Reinaldus III. & Eduardus

dus I. Duces præberent; illa inteſtini inter *Heckeros* ac *Bronchorſtios* belli flamma erupit, quæ florentiſſimas pene in ſolitudinem redegit Provincias. Ac ea in re à Reinaldo III. graviſſime peccatum, quod ſe uni parti in ſolidum adjunxit, qui utramque factionem authoritate ſua comprimere & componere debuiſſet.

12. Hæc una calamitatum publicarum cauſa. Succeſſit altera, longe perniciofior, cui Adolphi in Patrem Arnaldum Egmondanum impietas initium occaſionemque dedit. Atrox facinus, cum Pater, jam ſenio gravis media hieme in carcerem à filio raperetur: cum coram Carolo Burgundo uterque cauſam ſuam per mutua convitia diſceptarent; cum Pater filium ad duellum provocaret: Filius diceret: *Se ante parentem puteo ſubmerſurum, dein ſecuturum fata illius liberrimo præcipitio, quam ut eum intra Gelriam vel conſiſtere ac habitare permitteret. Patrem jam præfuiſſe per totos* XLIV *annos, æquum eſſe ut tandem etiam ad ſe redeat Principatus.*

13. Utcunque autem ſumma in Arnaldum impietas Adolphi fuerit, graviſſimè tamen ab eo peccatum, quod ultionis ſtudio, Gelriam Zutphaniamque;

Carolo Audaci Burgundiæ Duci oppigneravit ac tradidit, oblitus ſanguinis ſui ac nepotum, oblitus etiam ſubjectorum, quos alieno invitos reluctanteſque Imperio tradebat. Enimvero, cedere potius Ducatu, tantæ jam Senectutis Princeps, & Reipublicæ ac poſteris conſulere debuiſſet, quam ima ſummis, pervicacia Provinciis integro ſeculo noxioſiſſima, permiſcere. Neque vero ipſius privatæ cum Burgundo tranſactiones, ullius valoris fuerunt. Non enim Princeps, invito populo, ditiones ſuas divendere vel oppignerare poteſt.

DISSERTATIO II.

De Inſula & Oppido Batavorum, quod Neomagum *vocant.*

1. BAtavi, ut Tacitus docet, *Cattorum quondam populus, & ſeditione domeſtica pulſi, extrema Gallia ora vacua cultoribus, ſimulque Inſulam inter vada ſitam occupavere, quam mare Oceanum à fronte, Rhenus amnis tergum & latera circumluit.* Nimirum antiquiſſima hæc lex fuit quam Anſibarii Romanis olim ingeſſere: *Sicut cœlum DIS, ita terras generi mortalium datas: quaque vacua, eas publicas eſſe.* Caput gentis *Oppidum Bata-*

Batavorum fuit, id eſt *Neomagum*, ut & *Smithius*, ſingulare urbis illius ornamentum, oſtendit.

2. Præcipuè ſub Romanis eorum celebrari virtus cœpit ac fama, cum, quod incomparabile illo ævo privilegium, AMICI, FRATRES, SOCII Romanorum dicerentur. Ac manſit honos & antiquæ Societatis inſigne. *Nam nec tributis contemnuntur, nec publicanus atterit, exemti oneribus & collationibus, & tantum in uſum præliorum ſepoſiti, velut tela atque arma, bellis reſervantur.* Hinc fidi Romanis, quamdiu modeſtè habebantur. Ubi ſervitus ingeſta, promtus illis libertati aut ad mortem animus. Nec fortiſſimæ genti, vindices libertatis Cl. Civiles defuerunt.

3. Bello non alii celebriores. Præſtantiſſimus eques præcipuo nandi ſtudio, freta, flumina, quicquid aliis inacceſſum, arma equoſque retinens, ſuperabat. In prælio rem ad mucrones ac manus, veteri exercitio adducere ſoliti, ac *ora fœdare.* Quod, ut peculiare ipſis, in Agricola Tacitus notat.

4. Tales ſub Romanis. FRANCORUM ſucceſſit poteſtas, quos eadem fide ac comitate coluerunt. Ac tum abolito paulatim veteri nomine, *Franci* vel *Au-*

ſtraſii dicebantur. Donec Imp. CAR. Craſſi tempore, in Hollandos Ultrajectinoſque diviſi, tertiam Batavicæ gentis partem, & vetuſtatis ſuæ tenacem, illi quos hodieque *Betavos* dicimus, conſtituerent.

5. BETAVIA, inter quatuor Gelriæ tetrarchias prima, ac in *ſuperiorem* & *inferiorem* diviſa, NOVIOMAGUM caput habet. Origo nominis, ob nimiam vetuſtatem, ignota eſt, & fruſtra quæritur. Jam diu ante Gallieni tempora ita appellatam, ex antiquis conſtat monumentis.

6. Status Neomagi ſub *Imperio*, ſub *Principibus*, ſub *Ordinibus*, ſpectatur.

7. Sub IMPERIO, maxima omnino Noviomagi dignitas fuit. Nam Carolus Magnus, quatuor imprimis urbes impenſe ornavit, Aquiſgranum, Noviomagum, Ingelhemum, ac Theodonis villam. Et *Aquiſgranum* quidem, *urbs regalis*, *regni ſedes principalis, prima regum Curia, Sedes Imperii trans Alpes, & altera Roma* vocabatur. Proxima dignitate *Noviomagum*, ubi Palatium Imperatoris, à Carolo conſtructum, & cui omnia Aquenſium privilegia ab Impp. indulta ſunt. Unde territorium ejus, quem ad modum & Aquenſe, ſignanter *Imperium* di-

dictum, alio nomine *Burggraviatus*, cujus dignitatis ſedes eſt arx *Valckenhof*.

8. Sub PRINCIPIBUS ab Anno cIↄ ccxLVIII eſſe cœpit, cum *Guilhelmus* Hollandus Imp. univerſam ditionem Ottoni III. oppigneraſſet. Nam arcem jam ante ea tempora Ottoni II. in feudum Fridericus II. contulerat. Neque vero illa oppigneratio libertatem urbis ac privilegia infregit. Quæ complures poſtea Impp. Richardus, Rudolphus I. Albertus, Ludovicus, Carolus IV. Wenceſlaus, Fredericus III. Carolus V. non tantum confirmarunt, verum etiam inſigniter auxerunt. Ut etiam poſt oppignerationem Imperialis manſerit civitas, & in Imperii Rom. tutela ac patrocinio. Quod vel ex Diplomate Rudolphi I. IX. Kal. Octob. cIↄ cc LXXXII. videre eſt.

9. Uſitatum Principibus, privilegia populi per varias infringere artes. *Res* enim ferè *diſſociabiles ſunt*, *Principatus ac Libertas*. Hinc illæ Comitum Ducumque machinationes, quibus NEOMAGUM, urbem nimis liberam, ac judicio aulæ, privilegiis præferocem, oppugnarunt. Ac inania quidem, Principis hæreditarii titulus, cum aliis facile transmiſſa ſunt. Cæterum libertas nullis ex-

ſtraſii dicebantur. Donec Imp. CAR. Craſſi tempore, in Hollandos Ultrajectinoſque diviſi, tertiam Batavicæ gentis partem, & vetuſtatis ſuæ tenacem, illi quos hodieque *Betavos* dicimus, conſtituerent.

5. BETAVIA, inter quatuor Gelriæ tetrarchias prima, ac in *ſuperiorem* & *inferiorem* diviſa, NOVIOMAGUM caput habet. Origo nominis, ob nimiam vetuſtatem, ignota eſt, & fruſtra quæritur. Jam diu ante Gallieni tempora ita appellatam, ex antiquis conſtat monumentis.

6. Status Neomagi ſub *Imperio*, ſub *Principibus*, ſub *Ordinibus*, ſpectatur.

7. Sub IMPERIO, maxima omnino Noviomagi dignitas fuit. Nam Carolus Magnus, quatuor imprimis urbes impenſe ornavit, Aquiſgranum, Noviomagum, Ingelhemum, ac Theodonis villam. Et *Aquiſgranum* quidem, *urbs regalis, regni ſedes principalis, prima regum Curtis, Sedes Imperii trans Alpes, & altera Roma* vocabatur. Proxima dignitate *Noviomagum*, ubi Palatium Imperatoris, à Carolo conſtructum, & cui omnia Aquenſium privilegia ab Impp. indulta ſunt. Unde territorium ejus, quem ad modum & Aquenſe, ſignanter *Imperium* di-

dictum, alio nomine *Burggraviatus*, cujus dignitatis ſedes eſt arx *Valckenhof*.

8. Sub Principibus ab Anno cIↃ CCXLVIII eſſe cœpit, cum *Guilhelmus* Hollandus Imp. univerſam ditionem Ottoni III. oppigneraſſet. Nam arcem jam ante ea tempora Ottoni II. in feudum Fridericus II. contulerat. Neque vero illa oppigneratio libertatem urbis ac privilegia infregit. Quæ complures poſtea Impp. Richardus, Rudolphus I, Albertus, Ludovicus, Carolus IV. Wenceſlaus, Fredericus III. Carolus V. non tantum confirmarunt, verum etiam inſigniter auxerunt. Ut etiam poſt oppignerationem Imperialis manſerit civitas, & in Imperii Rom. tutela ac patrocinio. Quod vel ex Diplomate Rudolphi I. IX. Kal. Octob. cIↃ CC LXXXII. videre eſt.

9. Uſitatum Principibus, privilegia populi per varias infringere artes. *Res enim ferè diſſociabiles ſunt, Principatus ac Libertas.* Hinc illæ Comitum Ducumque machinationes, quibus Neomagum, urbem nimis liberam, ac judicio aulæ, privilegiis præferocem, oppugnarunt. Ac inania quidem, Principis hæreditarii titulus, cum aliis facile transmiſſa ſunt. Cæterum libertas nullis ex-

torqueri molitionibus potuit, ne quidem terrore admoto. Neque raro Principes libertati graves in ordinem redacti. Nam Reinaldo I. ac III. & Arnaldo Egmontano Imperium abrogarunt. Ac cum Carolus, ultimus Egmontiorum, libertatem ac privilegia præfracte imminueret, civitas ſumtis armis oſtendit, penes ſe vim Reipublicæ ſitam eſſe. In quo negotio præcipuæ conſulis Jac. Caniſii partes fuerunt, de quo ſub extrema vitæ Carolus exclamavit: *O Canis maledicte, O Canis, tu qui me ditionibus meis ac ſubditus exuiſti, etiam ereptum cor advolas.*

10. In tanta populi libertate, ſumma Principibus fides ac obſervantia exhibita fuit. Nam nec induci unquam amplis Impp. promiſſis potuêre, ut ſub Imperium, relicta Gelria, redirent: & in Egmontios imprimis flagrantiſſima ipſorum ſtudia memorantur.

11. *Privilegia* civitatis ampla admodum ſunt atque eximia. Jus monetæ: legum pro arbitrio rogandarum & abrogandarum. Magnæ per Gelriam, Imperium, Brabantiam, Cliviam, Hollandiam, Zelandiam, Leodienſem Diœceſin, immunitates. Telonium & præfectura territorii Moſæ-Vahalis: Fœdus cum

cum Anſeaticis. Quæcunque liberrimis competunt Civitatibus Imperii, Regalia.

12. *Regimen* prudentiſſimum, antiquo more, ex primoribus gentis ac promtiſſimis vulgi. *Senatores* XXIV, *Conſules* bini. *Plebs* per ſocietates diviſa & Tribus, inter quas præcipua S. *Nicolai* Sodalitas, Ducentum virûm, Tribunitia Remp. poteſtate cum Patribus adminiſtrabat. In Civilibus provocatio ad Aquiſgranenſem curiam: in criminalibus nulla erat. Denique totius Reip. ſumma penes Magiſtratum: Principibus probandi quod decretum libertas relicta; contra niti ſecundum leges non poterant.

13. Sub ORDINIBUS fœderati Belgii, Anno cIↄ Iↄ XCI eſſe cœpit, à quo tempore, primum inter urbes locum ſuffragiumque obtinuit. Tum quoque forma Reipubl. in quibuſdam mutata. Abrogatæ fraternitates. In locum Sodal. S. Nicolai, XXXII. viri ſucceſſere, quos Tribunos pl. vocant. Senatorum numerus infra XXIV. Electio horum, durante bello cum Hiſpanis, penes Gubernatorem, ex pacto fuit.

14. *Calamitates* civitas hæc graves per tot ſecula ſuſtinuit. A Cl. Civili, Normannis, Godefredo Lotharingo, direpta

& combuſta. Bis ab Imperio proſcripta. Civilibus inter Reinaldum & Edoardum bellis jactata. Et dum per ſexaginta annos & amplius, Egmontios aſſerit, ſingulæ fere Noviomagenſium familiæ, ſingula leguntur amiſiſſe capita. Cunctis gravior miſeriis Hiſpanica, quæ ſexennium duravit, ſervitus fuit, & quod ſecutum pro libertate bellum, non ulli gravius urbi, quam huic, in confiniis infenſarum gentium poſitæ, incubuit.

15. Atque hi caſus civitatem bello aſperrimam reddidere. Quod annales patrii teſtantur, & victoriæ, vel magnis, parva ſæpe manu, Regibus extortæ. Eaque ut perennaret diſciplina, ſaluberrimis cautum legibus, *ut quiſque civium integram corporis ſui armaturam poſſideat*. Ac quoties pro patria pugnandum fuit, arma, viros, pecuniam, promtiſſimo quiſque civium ſuppeditavit ſtudio, memores illius quod Cerealis, contra Cl. Civilem Batavum bellum gerens, ſuggerit: *Neque quies gentium ſine armis, neque arma ſine ſtipendiis, neque ſtipendia ſine tributis haberi queunt.*

DIS-

Dissertatio III.
De Inſula & Vrbe Bommelenſi.

1. INter quatuor Ducatus Gelriæ Tetrarchias, prima ordine Neomagensis, præter ipſam metropolin Neomagum, inſignes inſuper Tielam ac Bommeliam, cum ſuis inſulis, urbes habet. De quibus jam, pro inſtituto noſtro, agendum eſt.

2. Bommelensis inſula, Moſam inter ac Vahalim, haud ſpernenda magnitudine ſita, complures pagos vicoſque, & ipſam, caput ejus, Bommeliam, complectitur. Unde, quod poſitura, ad ſuſtinendum hoſtem, ingenio loci, munitiſſima eſſet, ſingularem Ordines curam ſemper adhibuerunt, ut propugnaculis undique firmiſſimis cingeretur. Qualia ſunt, *Santandreanum*, ab Andrea Cardinali Auſtrio ſtructum, & *Vorenum* ſive *Naſſavium*, quod Mauritio Auriaco originem ſuam debet. Quibus toto bello invicta Bommelia ſtetit. Quæ olim, ad diſtinctionem alterius, etiam *Soltbommelia* dicta.

3. *Origo* urbis, ut plerarumque, incerta, & admodum antiqua eſt. Urbis nomen ac privilegia, cum muris, Otto-

ni

ni Naſſavio, qui ſeptimus Comitum, debet. De ratione facti, alias dictum. Quod cum fieret, Annus cIↃ CC XXIX. fuit. Nunc id notaſſe ſufficiat, aliud, non verbo tantum, verum etiam re, urbem, aliud Civitatem eſſe. Illa muros ac ædificia, hæc cives ac Rempublicam complectitur. Quod diſcrimen cum Carthaginienſes, tertio bello Punico, non callerent, in magnam incidêre calamitatem. Placuerat Senatui Romano urbem tantum removere, civitati nihil adimere. Igitur Legatis Punicis reſponſum: *obſides cum claſſibus traderent, civitati & privilegiis nihil ademtum iri:* Quod Carthaginienſes etiam de urbe acceperunt, quibus reſponſum: *Civitatem non eſſe alligatam loco, nec concludi muris vel ædificiis. Male interpretatos Carthaginienſes de urbe, quod promiſſum eſſet de Civitate.* Ita excedere juſſi, & urbs capta ſoloque æquata fuit. Hinc illud Pompeji: *Reſpublica non conſiſtit in parietibus. Ibi Roma eſt, ubi Senatus.* Et Athenienſes in bello contra Xerxem, civitatem ſuam in naves, qui illi, quos oraculum Delphicum deſignarat, muri lignei erant, tranſtulerunt.

4. Circa A. Ch. IↃCCCCXCIX. *Otho* III. Imp. Eccleſiæ Trajectenſis cum alia mul-

multa, tum villam, ut eo tempore dicebatur, Bommeliam, cum jure cudendæ monetæ, vectigalibus aliiſque ad eam pertinentibus, donavit, ſi Hedæ & tabulis quas profert credimus. Nam multa Epiſcopi monumenta priſcorum Impp. pro aſſerendo jure in provincias urbesque, commenti ſunt. In quo ipſis Pontifex Romanus præivit, qui pro ſuo in Italiam jure, tabulas donationis, quas Conſtantinus Magnus Silveſtro Papæ dederit, profert. Quibus nihil futilius, nihil mendacius eſt. Unde illud Legati Veneti in Pontificem dicterium. Eo enim quærente, quo titulo Reſpubl. ſibi mare Adriaticum aſſereret: *Eodem* inquiebat, *quo tua Sanctitas Romam. Inſpiciantur tabulæ donationis Conſtantini, & ab altera parte occurret jus noſtrum in mare Adriaticum*. Brabantici juris fuiſſe certius eſt, qui Duces, eam cum oppido inſulam, Gelriæ Comitibus in feudum dederunt. Quo etiam titulo *Iohannes* Brabantiæ Dux, flagrante Limburgenſi bello, ea Reinaldum I. Gelriæ Comitem ſpoliavit. In cujus tamen ditione non diu manſit. Quâ occaſione obſervandum, loca in extimis regnorum vel Provinciarum limitibus ſita, exorto inter vicinos bello, perpetuis jactari tempeſtatibus, ac mili-

militum injuriæ, miſerandum in modum, expoſita eſſe. Sic in Anglia, magna Northumbriæ pars, quâ Scotiam reſpicit, vacua & inculta jacet, qui *ager Contentioſus* dicitur, ob frequentes ibi adverſarum gentium pugnas vaſtitateſque. Unde etiam limitaneæ Provinciæ minoribus tributis & vectigalibus onerantur.

§. 5. Ac *clades* quidem hæc urbs, præ cæteris, multoties magnas graveſque ſenſit, toties obſeſſa, capta, recepta, direpta. Nam A. cIↃcccxIx à *Burenſi* & *Arckelenſi* dynaſtis capta, direpta, combuſta fuit. Quod in ultionem Reinaldi I. Com. à filio Reinaldo II. captum, fecerunt. Quippe ingentia Principum ſcelera frequenter innocuo ſubditorum ſanguine expiantur, ſecundum illud: *Quicquid delirant Reges, plectuntur Achivi.* Eadem calamitas non ſemel poſtea huic urbi inflicta, à *Wenceſlao* Duce Brabantiæ Anno cIↃ ccc LXIII. iterumque triennio poſt, & ſexennio contigit, cum eam *Iohannes* Bloſii Comes, qui ſe Ducem Gelriæ ferebat, expugnaſſet. Nihil Reipubl. damnoſius, quam ſi de vero & legitimo ſucceſſore ambigatur. Hinc enim bella pluſquam civilia & gentium clades oriuntur. Quod tum temporis Gelria, extincto ſine prole Edoardo Duce, ac

ce, ac noſtro ſeculo graviſſime Ruſſia, tum tres ad Rhenum Ducatus, Juliacum, Clivia, Montes, ſenſerunt, ac hodie Regnum Poloniæ miſerandis cladibus experitur. Hinc danda ſingularis opera, ut certi quid de ſucceſſore, ante exceſſum Principis, publicè ſtatuatur, ne tantorum Rempubl. malorum Oceanus, eo velut obice amoto, inundet.

6. Succeſſerunt tempora, quibus juſtitiæ, contra ſummam vim & manifeſtam iniquitatem, pugnandum erat. Id eſt, *Carolus* Adolphi filius, Arnaldi nepos, circumventus & fraudatus, jus ſuum repetebat. At interim graſſabatur *Philippus* Maximiliani Imp. filius tantis ſuccinctus viribus. Quid Bommelienſes? Ut Gelros decebat, pro patria pugnant, & Alberti Saxonis vim ſuſtinent. Enimvero miranda in Belgis virtus, non reformidare potentiſſimos Principes, inania nomina, quoties de virtute agitur. Quantum ex omni antiquitate colligimus, nulla tanto ardore, & felicius pugnavit Provincia, contra potentiſſimos Principes, quam Gelria, pro libertate: contra vim, fraudem oppreſſiones: & contra Tyrannidem, ut uno omnia complectar verbo.

7. Si ullius belli cauſa injuſta fuit; illa erat,

la erat,quam Auſtriaci, prætextu tranſlationis Arnaldinæ, in Gelriam prætendebant. Et tamen Magnus ille *Maximilianus* Imp. eumque ſecuti filius *Philippus* atque nepos *Carolus*, cognomine V. dominandi ſtudio, cuncta jura per vim, terrorem, ac Majeſtatem, ſubverterunt. Gelri non cedunt: nec Bommelia, primum belli illius præmium, unquam ceſſit. Teſtis obſidio, quam ſub Rudolpho Anhaldino tulerunt illius urbis cives. A. cIↃ IↃ IV.

8. Habet etiam Bommelia gloriam obſidionis Hiſpanicæ eo tempore, quo Leidenſium urbs à Tyrannis illis obſeſſa. Favit utrimque DEVS, tantæ iniquitatis Hiſpanicæ ultor. Perfoſſi aggeres & Leidam excidio liberarunt, & Bommeliam periculo.

9. Multa de hac urbe dicenda ſupereſſent: ſed una in Principes fides omnium inſtar erit. *Philippus* Auſtrius, certè titulo tenus in hanc Provinciam, Tyrannus, reliquas urbes Carolo Egmondano eripit, ſibique ſubjicit. Quid Bommelia? Verba Pontani ſunt: SOLI BOMMELIENSES, *qui tum circiter trimeſtrem obſidionem toleraverant, ægre admodum adduci potuerunt jugum Philippi accipere. Verum ipſo quoque hoc idem*

idem ſuadente, imo precibus & fere LACHRIMIS adhortante Carolo Duce, vel invitos accepiſſe reperio. Non aliud in Hiſtoriis ſimile exemplum, quam Rupellenſium, cum Edoardo III. Angliæ Regi à Johanne Galliæ Rege dederentur. De quo Froſſardus.

10. Inter Anſeaticas quoque urbes Bommelia nomen ſuum profitetur ac locum obtinet. De cujus fœderis inter urbes initi occaſione, commodis, aliiſque ad Anſam ſpectantibus, ſuo tempore agemus.

DISSERTATIO IV.

De Inſula & Vrbe Tilenſi.

1. VLtima Europæ inſularum Thule. At non TILA inter Gelricas urbes inſulaſque; ſingulare Vahalis Bataviæque ornamentum. De cujus antiquitate, idoneus teſtis, *Sigebertus* Gemblacenſis, ſupereſt. Qui *Tielæ* urbis jam ad A. Ch. CCCCLI. id eſt ſub Valentiniano III. meminit. Ita enim, non vero ut corrupti codices habent, *Ticla*, legendum. Quo tempore *Attila* Hunnorum Rex & tot feræ nationes, Imperio Romano finem in Occidente impoſuerunt.

Francus Germanum primum, Belgamque ſecundum
Sternebat, Rhenumque ferox Alemanne bibebas.

2. Ita ex Imperii ruderibus naſcens TILA, ſub Francorum Regibus, *Teiſterbantiæ* Comitatus aliquandiu caput fuit. Qui late à Leccâ Lingâque ad veterem uſque Moſam ſparſis ditionibus, Tilam, Bommeliam, Heuſdam, Arculeam, Altenaënſem, Vianenſem, Culenburgenſem & Buranam regionem complectebatur. Poſtea in tot diviſus particulas, varios Dominos, ſed potiſſimâ ſui parte, Gelros habuit.

3. *Incrementa* urbis ab A. cIↃ ccc IV. notiora ſunt. Tum enim flagrante Brabantos inter ac Gelros bello, muris eam cives cinxerunt. Cauſa facti; quod incurſionibus adverſarum partium expoſiti, multa bello aſpera indignaque hactenus pertuliſſent. Eaque cura ſequentibus annis, inter perpetua bella crevit; donec tandem ad inexpugnabile deducta robur, quemlibet hoſtem facile ſuſtinere poſſet. Acceſſere etiam alia ædificiorum ornamenta, *telonii* domus ſub Reinaldo III. *faſtigium* turris, ſub Guilielmo I. ac ſub eodem refectæ ædes Walpurgis ac Martini. Cujus etiam turris im-

imperante Arnaldo I. è fundamentis denuo educta & ad eam, quâ hodie ſpectatur, molem, feliciter perducta fuit. Glorioſum id urbibus, ſi novarum acceſſione ædium,quæque alia decori ſunt, magis magiſque illuſtrentur. Unum intra mœnia vitium hoc obſervatur, quod anguſtiores plateæ minus eam perflabilem ventis faciant: unde aër arctior, ac minus ſalubris. Quod incommodum ne magna quidem olim Roma, hodie Alcahera, Londinum & aliæ urbes, evitare potuerunt. Quæ autem de novo excitantur oppida,dimenſis platearum decenti latitudine ordinibus, huic vitio mederi ſtudent. Nihil enim magis Reipubl. conducit, quam aëre quam ſaluberrimo frui.

4. *Viciſſitudines* caſuſque urbis hujus varii mirandique fuerunt. A Francis ad Epiſcopos Trajectinos, ab his, feudi nomine, ad Brabantos, à Brabantis ad Gelros, veniſſe conſtat. Ac cum ab aliquot jam ſeculis crebra inter Brabantos, Gelros, Ultrajectinos, bella eſſent, hæc urbs modo harum, modo illarum partium, non inconſtantia, ſed neceſſitate, fuit. Donec tandem ſub Reinaldo II. Galliarum Rex *Philippus* Valeſius litem ita finiret: *Vt Tila Brabantica, quæ in Gel-*

Gelriæ Comitatus quaſi meditullio eſſet collocata, & Hœſda viciſſim Gelrica, quæ finibus Brabantiæ natura loci eſſet annexa, hæc quidem Brabantis impoſterum, illa Gelris cederet. Quæ ſententia æquiſſima videtur. Magnum enim incommodum illa provinciarum urbiumque permixtio præbet, cum quos natura ipſa poſuit, flumina monteſque, regionum limites, obſervandi ſint. Cui confuſioni imprimis Helvetia hodie obnoxia eſt, ubi diverſarum urbium oppida & pagi mirum in modum permiſcentur. Ac hujus permutationis exempla etiam hodie extant. Nam & Monaſterii nuper pactum conventumque: *Vt Tetrarchia Ruremondenſis Ducatui Gelriæ reſtituatur, pro æqua alterius ditionis parte.* Quod ut quam primum fiat, bono publico, optandum eſt. Ita circa A. cIↄ ccc xxxvI. Tila Gelrici juris, Heuſda Brabantici, eſſe cœpit. In civili Heckero-Bronchorſtiano bello, primum à Reinaldi III. inde Edoardi partibus ſtetit. Atque hæc tranſitio, cauſa cruenti inter fratres prælii; quo Reinaldi fortuna concidit, & Gelria omnis in Edoardum tranſlata fuit. Inde multoties capta receptaque urbs: maxime ſub Guilielmo I. ac poſtea in Burgundicis bellis.

5. *Cla-*

Clades ex præcipuis incendio bellove acceptæ hæ memorantur: A. cIↄ IX à Normannis exuſta fuit, quam calamitatem ædes Walpurgis A. cIↄ C XXXVI. quoque ſenſerunt, ac longe gravius A. cIↄ CCCI, quo tempore à Bronckhorſtiis turris Walpurgina, una cum CXL, qui in eam confugerant, exuſta fuit. Alia quoque poſtmodum incendia vel fortuita vel hoſtilia urbem affixerunt. A. cIↄ CC LXXXVI, à Reinaldo I. vaſtata. cIↄ CCCXV, ab Othone Burenſi direpta. cIↄ CCC XXXII, à Reinaldo II. mœnibus nudata, cum paulo ante magnam ejus partem incendium ſuſtuliſſet. Ager quoque circumjacens, perfoſſo aggere ab aquarum inundatione, magnam ſenſit cladem, ſub Ottone III. & Reinaldo I. Gelriæ Comitibus. Quod cum pro Republicâ fit, ſalutare cenſendum eſt. *Satius* enim *eſt pollices præmorſos amittere, quam integrum corpus aut manum in exitium præcipitare*, quod Gerhardi Swavii, Daventrienſium conſulis, ſuperiori ſeculo ad Caroli Egmondani Gelriæ Ducis Legatos, dictum generoſum fuit.

6. Sed nihil obſidione celebrius, qua Tilam *Carolus* V. potentiſſimus Imperator, A. cIↄ Iↄ XXVIII. tribus caſtris,

in quibus circiter millia armatorum viginti, obſedit. Oppugnatio acerrima fuit, nec minus fortiter à Tilenſibus defenſa. Adeo ut poſt ingentem cladem, amiſſis amplius cIↄIↄ. Cæſareani infectâ re obſidionem ſolvere cogerentur. Ipſe, qui Cæſareanis cum ſummo Imperio præerat, *Florentius* Egmondanus ad nuncium acceptæ cladis ſubridens: *Et meus* inquit *miles Tilam oppugnare voluit?* Utque perennis memoria tanti obſidii ſupereſſet, Senatus Tilenſis hos verſus portæ Burenſi incidi ſaxo juſſit:

Aſpice qui tranſis hanc portam, mœnia, turres,
Tormentis, jaculis, quam lacerata feris!
Fortius exurgam Batavorum gentis aſylum,
Pro quibus, ut vici, prælia dura mihi.

7. Eſt etiam inter Anſeaticas urbes, cum aliis Gelricis, Tila. Quæ, ut obiter hoc addam, nomen non à maris vicinia, vel magnitudine, acceperunt; ſed quod inter ſe fœderatæ, communem colerent ſocietatem. Hoc enim *Anſa* denotat priſcis Gottis ac Germanis. Unde verbum hodieque uſitatum, *Hanzen*, quo utuntur cum quis primum in ſocietatem aliquam recipitur, quod imprimis mercatoribus ſolenne eſt.

DIS-

DISSERTATIO V.

De Comitatu & Vrbe Zutphanienſi.

1. ZUTPHANIAE COMITATVS omnium non Belgii tantum, ſed Germaniæ antiquiſſimus, ad decem ſæcula & amplius, Origines ſuas initiumque extendit. Nomen ipſi à primaria urbe Zutphania. Quæ cum nondum condita eſſet, qui agrum illum tenebant, Comites de ZELHEM dicti ſunt.

2. Nomen ZVTPHANIAE à declivioribus ad auſtrum paſcuis deductum, quod vel ex illis, quæ in Septentrionem poſita, latifundiis *Nordveen*, comprobatur.

3. COMITVM autem origo ex Romana petita fuit conſuetudine. Plerumque Provinciis & urbibus regundis impoſiti, quæ inde COMITATVS dicebantur. Illæ ſucceſſu temporum Præfecturæ, in hæreditates Principatuſque, Imperatorum indulgentia, verſæ ſunt.

4. Primi de Zelhem Comites tam altis immerſi antiquitatibus ſunt, ut ſeries eorum continua exhiberi nequeat. Mentio fit *Balderici* Comitis de Zelhem, nec non *Theodorici*, *Alardi* & *Gerhardi*, *fratrum*. Vix certiora de Zutphanienſibus ſuperſunt documenta. Quorum pro-

ſapiam ab *Hermanno* auſpicantur, cui qui ordine ſucceſſerint, non admodum conſtat. Memorantur *Reinerus* ad Annum IↃCCCXXXIII. *VVichmannus*, *Gerlacus*, *Meinwercus*, *Gerlacus* II. qui ultimus Comitum. Nam eo mortuo comitatus ad Ottonem, Naſſaviæ Comitem & Gelriæ, devenit.

5. Idque Conjugio cum Sophia Wichmanni filia. Qui optimus acquirendi & innocentiſſimus modus; quo imprimis Auſtriaca domus ad tantam potentiam pervenit. Omnia enim fere incrementa ſua Auſtriaci conjugiis debent. Hoc pacto Burgundia, Belgio, Hiſpania, & aliis potiti ditionibus ſunt.

6. Cæterum adjunctus Gelriæ Zutphaniæ Comitatus, nihil omnino privilegiorum ac jurium amiſit. Quæ in tali Principatuum unione perpetuò excipiuntur, quod tum ex Belgii XVII patet provinciis: tum ex Anglia, Scotia, Dania, Norwagia, Suedia, Polonia, Lithuania, Caſtilia, Aragonia, Luſitania, & aliis regnis. Atque hinc cum Burgundiæ Principes, Carolus Audax & Philippus II. Provincias Belgicas in unius regni corpus ac nomen redigere vellent, acerrimè ſeſe Ordines oppoſuerunt, quod illa converſio, legum quoque ac conſue-

tudi-

tudinum, quæ diverſæ & peculiares ſingulis Provinciis, mutationem ac abolitionem inferret.

7. Univerſus Comitatus in Baronias, Civitates, Præfecturas, Dominia, dividitur. *Baroniæ* ſunt Bronckhorſtia, Bergenſis, Barenſis, Wishenſis. *Civitates*, Zutphania, Dusburgum, Dotechonium, Lochemum, Grolla. *Præfecturæ*, Comitatenſis, urbis Zutphaniæ, Bredevordiæ, Dusburgenſis, Lochemenſis. *Dominia*, Borkeloenſe, Anholtinum, Wishenſe.

8. URBS totius Comitatus princeps ZUTPHANIA eſt, opibus populoque gravis, ingenio loci ac arte munitiſſima. Quæ Iſalæ, cui adjacet, beneficio, cunctam Oceani navigationem in commoda ſua trahit. Quod imprimis, cum urbes conduntur, ſpectandum eſt, ne longius ab Oceano diſſitæ, maximo illo & ad opes imperiumque parandum ſingulari privilegio deſtituantur.

9. Hinc ante aliquot ſecula celebris ob mercaturam in ſeptentrionem & ad Balticum mare fuit. Quod tot Regum Daniæ ac Norwagiæ vetuſta teſtantur documenta, quibus cives ad frequentanda ipſorum regna benigne invitantur. Atque ut urbs pluribus inſiſteret munimentis, Hanſeaticæ Societati jam olim nomen de-

dedit, interque eas locum ſuum ac ordinem, ſub Colonienſis Circuli præfectura, ſortitur. Et cum ob bellum Hiſpanicum intermiſſa aliquandiu ſocietas illa fuiſſet, urbs induciarum tempore, eandem ſolenniter repetiit, ac pro membro agnita fuit, omnibuſque etiamnum privilegiis ejus ubivis locorum fruitur.

10. *Forma* Reipublicæ Ariſtocratica eſt, per Conſules & Scabinos duodecim. Penes hos libera electio, & ſumma juris dicundi poteſtas. Neque enim provocare ab eorum ſententia, ſive ad aliud tribunal, ſive etiam ad Spirenſem Cameram licet. Nec domeſtica tantum & Comitatenſes controverſiæ ibi dijudicantur; verum etiam vicinarum per Cliviam & Velaviam civitatum. Olim ex remotis hinc petita oris conſilia. Quod quam celebre forum illud juri dicundo fuerit, ſatis oſtendit.

11. At quoties res ad univerſum ſpectantes Comitatum, diſceptandæ veniunt, comitia in urbem convocantur, eorumque arbitria rata habentur. Plane convenienter. Quod enim omnes ſpectat, ab omnibus approbari debet.

12. Celebris jam olim in urbe Schola fuit, ex qua inſignes literis ac virtute viri, *Gerhardus* Zutphanienſis, *Iohannes*

Vort-

Vorthuſius, ac nulli inferior *Henricus* Zutphanienſis, Bremenſium Euangeliſta in Dithmarſis ſuperiore ſeculo, A. Chr. cIↃ IↃ xxv. prima Martyrii laurea coronatus, prodierunt. De quo viro magnifice omnino Martinus Lutherus ſenſit, ut ex operibus ejus patet.

13. *Caſus* eoſdem fere cum univerſa Gelria ſuſtinuit. Anno cIↃ cc II Zutphaniam Theodoricus Trajectenſis Epiſcopus cepit. Civili bello durante, Heckeros ſecuta eſt. Quæ ferales factiones cum extincto Eduardo recruduiſſent, Zutphanienſes *Mechtildam* Eduardi ſororem, Comitem Bloſii, ſuſceperunt; Bronchorſtii, *Guilhelmum* Juliacenſem. Zutphanienſes Mechtildam jure potiorem contendebant, *quod Reinaldi ac Eduardi ſoror natu major eſſet: cum Guilhelmus ex ſorore quidem eorundem, ſed natu minore Maria eſſet prognatus*. Contra in favorem Guilhelmi allegatum ab Alberto Hollandiæ Comite, *Gelrici Ducatus ſucceſſionem haudquaquam in ſexum ſequiorem, ſed principem virum, modo haberi is poſſet, transferendam*. Ex qua contentione patet, ſucceſſionem Principum hæreditariam non minoribus urgeri difficultatibus, quam liberam electionem, quæ certe, omnibus accurate

perpenſis, illi præferenda eſſe videtur.

14. Cæterum controverſiam hanc arma dijudicarunt. *Id* enim *æquius in ſumma potentia quod validius.* Guilhelmus Gelria potitus & Zutphania, ſapientiſſimo conſilio, nulli ſe partium addixit, ſed omnes æqualiter habuit, ſive Heckeri eſſent, ſive Bronckhorſtii. Quod exemplum Principibus imitandum eſt, & neglectum immanes non Gelriæ tantum, ſed univerſo Belgio, Galliæ, Angliæ, Germaniæ, clades intulit & olim, hodieque infert.

15. Crebræ Zutphanienſium cum Daventriis contentiones fuerunt ob liberam in Iſala navigationem. Hinc ſæpe ad *Jus*, ut vocant, *repreſſalium* deventum eſt, quo uti in ejuſmodi caſibus ſolemus.

16. At omnem calamitatem ſuperavit illa Hiſpanorum ſub *Frederico* Toletano, immaniſſimi Ducis Albani filio immaniſſimo, exercita in urbe capta crudelitas. Non enim illi tantum qui in armis, trucidati, quod fortaſſe jure belli excuſaretur; ſed etiam captivi, quibus jam gratia interceſſione procerum aliquot facta, in crucem acti, vel flumine, quod tum glacie erat conſtrictum, apertis ad id foraminibus, immaniter ſubmerſi ſuffocatique ſunt.

17. *Fre-*

17. *Fredericus* Toletanus non ut miles egit, ſed ut latro: violavit divinum jus atque humanum: nec terrorem eo Turcico facinore, ac quæ Turcicis graviora fuerunt Hiſpanico, ſed deſperationem, ex deſperatione æternum ac irreconciliabile, adverſus Hiſpanum nomen, odium concitavit. Maneat perduretque Zutphanienſibus hujus Hiſpanici facinoris memoria, ne unquam poſteri ignorent cum quo hoſte & bellum per LXXX annos geſſerint, & jam pacem fecerint.

DISSERTATIO VI.

De Comitatu Velaviæ & Vrbe Arnhemo.

1. VELAVIA Ducatus Gelriæ quarta hodie pars, quidquid terrarum inter Rhenum, Iſalam & auſtrinum mare jacet, complectitur. Nomen ei à ſterilibus impoſitum eremis, quarum vaſtæ incultæque ſabuletis, ericetis & collibus, præſertim circa meditullium ſunt. Hinc cum fertilitas Betaviæ nomen fecerit, Velavia contrarium obtinuit. Unde in veteri quodam Arnoldi Ducis edicto Velavia dicitur, *Een wilt byſter Lant.*

2. Neque vero hæc ipſa ſterilitas ſuis caret commodis. Quemadmodum enim

nationes in uberrimo ſolo molles & effœminatas eſſe ab antiquis acceptum tradit Livius: ita loci ſterilitas eoſdem ad temperantiam, laborem, opificia, induſtriam, variaſque artes excitat. Quale Atticum ſolum fuit, apud quos lege Solonis inertem eſſe capitale erat. Qualis in Germania Noriberga, cujus agro nihil ſterilius fingi poteſt, omnium tamen tanti Imperii populoſiſſima, & opificum multitudine florentiſſima putatur. Sed Velaviam ita temperavit natura, ut ad marginem & oram extremam fertiliſſimo agro cingatur: adeoque interiorem ſterilitatem quaſi occultet & excuſet.

3. Qui antiquitus hunc tractum incoluerunt, *Marſatii* dicebantur. Quod ejus nominis loca, *Marſen*, *Maersbergen*, *Marſa* Linteloorum nobilium arx, & Zutphanicæ urbis *Marſport* reliquiæ veteris gentis, oſtendunt. Olim Germaniæ annexa, poſtea per Druſi foſſam inde avulſa eſt.

4. Antiquus Velavia Comitatus fuit, cujus ad Annum CIↃ C XCVI mentio fit. Sed Comitum ejus nulla ſupereſt memoria. At qui in ea, Comites de REDICHEM ſive *Rencum*; Imodus, & Meinwercus Epiſcopus Paderbornenſis, qui Diœceſin ſuam multis ex Velavia poſſeſſionibus, & in-

& inter cæteras *Puttenſi* prædio, donavit, memorantur. Cumque Epiſcopatus Trajecti fundatus eſſet, omnis hic ad Iſalam & ultra illis attributus Epiſcopis tractus fuit. Unde ſibi jus in Velaviam, Tranſiſalaniam, Epiſcopi Ultrajectini arrogarunt. Sed ab iiſdem Velaviam in feudum acceperunt Brabantiæ Duces. Ab his Ducibus ad Gelros territorium ſub variis nominibus devenit.

5. Nam primo *Henricus* Brabantiæ Dux Velaviam Ottoni I. Gelriæ Comiti certis conditionibus poſſidendam tradidit. Deinde frater ejus *Godefredus* Bulionæus, accepta in ſacram expeditionem ab Ottone pecunia, eandem jure feudi ſecundario in perpetuum ei transſcripſit. Tandem Henricus I. Gelriæ Comes, ducta in uxorem Seynara Godefredi Bulionæi HieroſolymorumRegis filia, Provinciam, hanc remiſſo feudo, dotis nomine accepit.

6. Utcumq; autem Gelriæ Comites, tot tantiſque jus ſuum in Velaviam, conceſſionibus munirent, non tamen Epiſcopi Trajectini ceſſarunt, ipſis propterea negotium faceſſere. Et hinc gravia bella, maxime inter Ottonem II. & Balduinum Epiſcopum. Donec Henricus VI. Imp. ita controverſiam finiret: *Ut Vela-*

viam ab Imperio in feudum reciperet Trajectinus, à Trajectino Lotharingus, à Lotharingo Otto II. libere & in perpetuum.

7. Velavia in *ſuperiorem* dividitur & *inferiorem*, præfecturas *majores* & *minores*, Urbes *Arnhemum*, *Hardervicum*, *VVageningam*, *Hattemum*, *Elburgum*.

8. Ex his primaria, ac ex quatuor una metropolis, ARNHEMVM eſt, celebre apud Tacitum *Arenaci* nomine, & in Tabulis Itinerariis Romanorum ac Antonini. Urbs imprimis elegans atque amœna lætiſſimo cœlo. Unde vulgo dicitur, *Arnhem de genoeghlijckſte*. In ea olim Leg. X. ſtativa; ibidemque ejus præfectus, quinque Centurionum primores, ac milites aliquot à Cl. Civile Batavorum Duce cæſi, quod ex Tacito conſtat.

9. Regimen Civitatis penes Judicem ac Scabinos duodecim eſt. Judex ab Ordinibus datur, eſtque etiam Veluæzomæ præfectus. Scabinis libera magiſtratus electio ac dignitas perpetua competit. Iidem Culenburgenſibus in jure dicundo, ad quos provocetur, impoſiti.

10. Imprimis celeberrimam magno Gelriæ Ducatus Senatui ſedem præbet. Ibi Curia Provincialis, ibi ſummum tribunal

bunal eſt. Quod quidem Carolus V. anno cIↄ Iↄ XLIII inſtituit, ex pacto cum ordinibus inito, ne ſequi aut ſubjici externis tribunalibus indigenæ neceſſum haberent.

11. Jus civitatis ſub Ottone III. anno cIↄ CC XXXII accepit & iiſdem quibus Zutphania fruitur, privilegiis donatum eſt. Idque à Reinaldo I. anno cIↄ CCC XII. ſolemniter confirmatum fuit. A quo tempore compluribus ornari immunitatibus cœpit. Remiſſum & ad Lobedam vectigal, jus monetæ cudendæ indultum. Ac omnia hæc privilegia multoties Arnhemenſibus aucta & confirmata ſunt.

12. Summa ipſorum in Principes ſuos fides & obſervantia fuit. Nam ſoli ex metropolitanis *Reinaldo* I. Gelriæ Comiti contra filium Reinaldum rebellem fida permanſit, ac filii in patrem deteſtandam machinationem averſata, Reynaldum à cæteris omnibus derelictum ſuo ſinu recepit ac tutum contra vim eò tempore præſtitit. Atque ob hanc fidem Reinaldus Arnhemienſes ſuos magno impoſterum affectu proſecutus eſt, eoſque plurimis auxit, qua poterat, commodis & honoribus. Æque promti erga Carolum Egmondanum fuerunt. De quo audiamus Pontanum: *Inter cætera Gelriæ oppida*

Arnhemienſes Adolpho Naſſavio, qui tum nomine Romanorum Regis Maximiliani præfectus Gelrorum audiebat, palam, ad eum miſſis codicillis, ſignificare auſi, ſe quam olim Principi ſuo ac hæreditario Gelriæ Duci Adolpho fidem ac ſacramentum dixiſſent, nunc idem quoque ejuſdem filio Carolo, è Galliis reduci, addixiſſe firmaſſeque & ideo recedere à fide, ac irritam habere, ſi quam Regi Maximiliano coacti feciſſent. Et licet reddito illis reſponſo, negaret Adolphus ſe eam Sacramenti renunciationem acceptare, dimovere tamen eos à fide ſui Ducis haud potuit.

13. At civili Heckerorum & Bronckhorſtiorum bello, magnis jactata caſibus fuit. Nam illi quos Reinaldus III. tributo ſolverat in Velaviam infuſi, horrendam agris vaſtitatem intulerunt. De quo verſiculi barbari extant:

Plebs Vryen dicta facit Arnhem claudere portas.
Molitur lapides confringere, lignea, ſepes,
Quis unquam talia percepit, dic rogo, facta?

Eaſdem calamitates poſtea ſub Arnaldo ſenſit, cum in carcerem conjectus, Adolphus & Johannes Cliviæ Dux, inteſtino bello cunctam regionem vaſtarent. A

quo

quo tempore perpetuis cum tota Gelria motibus, Velavia ejuſque caput Arnhemum agitata fuit.

14. Cumque Carolus Egmondanus non ignoraret quantum in hujus urbis ſalute ſitum eſſet, eam magnis molibus munire ſedulo contra omnem Burgundiorum vim inſtituit. Abſurda enim eorum opinio eſt, qui ſtatuunt urbes mœnibus deſtitutas eſſe debere, & haudquaquam contra vim muniri. Suſtinuit Gelria potentiſſimos ſæpiſſime hoſtes, non terrarum gentiumque multitudine, ſed tot ad Rhenum Iſalamque & alibi fortiſſimis munitionibus.

15. Poſt excluſum Hiſpanicæ Tyrannidis jugum, ultimam Velavia cladem Anno cIↄ Iↄc xxix accepit, cum Montecuculi Cæſarianas copias in eam, Iſala ſuperato, duxiſſet. Nimirum Auſtriaca domus, quamdiu valida viribus eſt ac potens, nunquam ceſſat vicinas affligere gentes, ac hoſtem toto orbe quærit. Quod ipſi haud ſemel male ceſſit, cum hinc Belgas, inde Suedos, alibi Gallos, laceſſeret. Jam enim ad incitas redacta, juſtiſſimas hujus vaſtæ ac indomitæ ambitionis pœnas pendit. Documento mortalibus PLUS ULTRA ſæpe converti in PLUS CITRA.

DIS-

DISSERTATIO VII.

De Vrbe Druſiburgo, quam Doesburgum hodie vocant.

1. CL. NERO DRUSUS Auguſti privignus, pater Germanici, Uſipetum regionem ac Sicambrorum, tranſmiſſo juxta Batavorum Inſulam Rheno, ingreſſus, foſſa, cui à ſuo DRUSIANAE nomen impoſuit, ducta, Rhenum tertii oſtii Flevi nomine auctum, deduxit in mare. Ut ita viam ſibi non in Sicambros modo Uſipeteſque, ſed etiam Friſios aperiret. Is ſecundo Rheno in Oceanum Borealem devectus, arma late per Germaniam circumtulit. Ejuſque poſtea exemplum ſecutus filius Germanicus, foſſam cui Druſianæ nomen ingreſſus, precatuſque Druſum patrem, *Vt ſe eadem auſum, libens placatuſque exemplo ac memoria conſiliorum atque operum juvaret.*

2. Druſus parta non contentus victoria, quæſitas armis provincias impoſitis coërcere caſtellis, & eorum molibus Romanum limitem firmare aggreſſus eſt. Nam hoc demum Imperatorium eſt, parta tueri. Quod imprimis per caſtella & munitiones fieri ſolet. Sed ſicut his caſtellorum compedibus ac arcium, recte & ſalubri-

lubriter barbaræ hoſtileſque coërcentur gentes: ita eaſdem civibus imponere & liberis gentibus Tyrannicum eſt. Quod cum Hiſpani per Belgium conarentur, animoſe ſe illis Ordines Civitateſque oppoſuerunt.

3. Talium Caſtellorum per Rheni ripam quinquaginta amplius direxiſſe Druſum Florus refert, interque ea etiam Doesburgum fuiſſe, vero ſimillimum eſt. Nam Druſi conditoris ſui nomen refert, extrita tantum ob molliorem pronunciationem, canina litera. Atque hinc Origo urbium & oppidorum, quæ hodie in Gallica ripa viſuntur, crebra & præclara. Nam ad Rhenum præcipuum Imperii robur erat ac limes contra ferociſſimum hoſtem. Tacitus: *Præcipuum robur Rhenum juxta, commune in Germanos Galloſque ſubſidium, octo legiones erant.* Inter præcipuas enim Auguſti curas fuit, non tam augere Imperium, quam intra terminos quos natura poſuerat, Rhenum, Danubium, Euphratem, continere, ac firmiſſimis præſidiis contra irruptionem munire. *Difficilius* quippe, *provincias obtinere, quam facere.*

4. Druſus autem Druſoburgi noſtri conditor ingentibus per Germaniam rebus bello geſtis, anno vitæ triceſimo, ex fra-

fractura cruris, inter Rhenum & Salam mortuus, ac à fratre Tiberio Nerone Romam pervectus, inque Augusti tumulo conditus eſt. *Et mortem & nomen Druſo Germania fecit.*

5. Druſiburgum igitur Romanorum militum contra Germanos prima ſedes ſub Imperatoribus fuit. Præcipuum enim Imperii munimentum coloniæ ſunt. Qua ratione & Alexander Magnus, devicta Aſia, paſſim in Ægypto, Perſia, India, colonias condidit, eamque rationem ſecuti qui mortuo ſucceſſerunt Reges. Hinc & mores & lingua latiſſimè propagata. Seneca: *Quid ſibi volunt in mediis barbarorum regionibus Græcæ urbes? Quid inter Indos Perſaſque Macedonicus ſermo?* Nec alia ratione Romani totum ſub poteſtate Occidentem tenuerunt, quam per frequentiſſimas colonias. Quod Hiſpani imitati & Luſitani, horumque exemplo Batavi, per utramque Indiam ſuæ gentis quam plurima ſtruxerunt oppida.

6. Hic Druſiburgi ſtatus fuit uſque ad Romani Imperii interitum, quem ab hac parte Francorum imprimis irruptio maturavit. Illi enim ſemel inſeſſis ad Rhenum & Iſalam regionibus nunquam expelli potuerunt, ſed aucti indies viribus animiſque perſpecta Romanorum ſene-

ſenectute, fertiliſſimas trans Rhenum Provincias ſibi deſtinarunt; & paulo poſt aſſecuti ſunt, poſt Valentiniani III. Imp. tempora. Ita à Romanis ad Francos Druſiburgum devenit. Et tum fortaſſe canina litera à barbaris extrita eſt; ac oppidum *Dusburgum* appellari cœpit, vel ut Turonenſis & Ado ſcribunt, *Diſpargum*. Ubi Francorum Regum Faramundi ac Clodionis primas fuiſſe ſedes, non autem in *Dyſparga* Cliviæ, non una ratione colligimus. *Primo*, quia in hoc ad Iſalam tractu, terra Salica indubie ſita eſt, quod alibi ex reliquiis nominis oſtendimus. At prima Francorum ſedes in terra Salica, nimirum ad Iſalam, quæ & Sala, unde regio Salica vel *Salland*, ut hodieque vocatur. Ex quo indubie colligimus Regum quoque ſedem in terra Salica, non autem ad Rhenum in Clivia fuiſſe. *Deinde*, quia Dyſpargum Regia Francorum ſedes in terminis Tungrorum. Verba Turonenſis ſunt: *Clodio in Francia regnans & trans Rhenum apud Dyſpergum in terminis Tungrorum caſtrum habens.* Aimonius: *Caſtellum quoddam Dyſpargum nomine occupant Franci, in quo Rex Clodio ſedem ſui conſtituit regni.* Quid hoc eſt *in terminis Tungrorum?* Ergone Tungri trans Rhenum?

num ? Nunquam auditum. Legendum ergo, ut plurimi MSS. habent, *Thoringorum*. Thoringi enim trans Rhenum, eo tempore Francorum æmuli ac late per Germaniam potentes. Quos Iſalæ approximaſſe haud mirum, cum ne hodie quidem tam longe ab ea habitent. Ergo Druſiburgum ſive Dusburgum Zutphaniæ, non Dyſpergum Cliviæ, ut Cl. Pontanus vult, prima Franciæ Regum ſedes fuit.

7. Sub Francis oppidum hoc non ſemel gravem à Saxonibus, Friſonibus, tandemque Normannis calamitatem ſenſit. Cum enim locus natura & ingenio munitus eſſet, eo ſe tanquam ad belli arcem pugnantes receperunt. Imprimis tamen Normanni ſub Hermanno Zutphaniæ Comite ex Friſia in hanc regionem infuſi circa A. Chr. Iɔccc xxxiv. Dusburgum ad Foſſam Druſianam occuparunt, ac propugnaculum in proximo exſtruxerunt, hyemem ibi, ad infeſtandam ſub novum ver Belgicam, acturi. Quod cum Imp. Carolo Craſſo innotuiſſet, miſſo Henrico duce, eos oppoſitis caſtris quaſi obſedit, ne prædas agere & impune quavis graſſari poſſent. Ita hyeme compreſſi, tandem exuſtis ac dirutis munitionibus cum ipſo oppido, in Friſiam

mari-

maritimam remigrarunt. Prudenter Henricus Dux illud bellum adminiſtravit. Quæ enim glorioſior victoria, quam hoſtem, ſine prælio, ſine jactura ſuorum, ſola mora, obſidione, fame, ad extremam deducere maciem ac debellare. Ita *cunctando Fabius* nutantem Romanorum rem, *non pugnando*, reſtituit. Ita *Stilico* Rhadagiſum in monte Apennino obſeſſum, cum innumerabili Scytharum multitudine, delevit. Ita *Fridlandus* Suediæ Regem ad Noribergum fregit.

8. Poſtea oppidum hoc eandem cum reliqua Zutphania fortunam pace belloque ſuſtinuit. Ac ob commodas munitiones frequenter oppugnata captaque fuit. Quæ viciſſitudo imprimis tempore Adolphi Ducis contra patrem tumultuantis cœpit. Eo enim tempore à Johanne Duce Cliviæ capta ac direpta, noviſque firmata propugnaculis, vim fortiſſimè diu ſuſtinuit.

9. Cum Heckeri & Bronckhorſtii cuncta inteſtino bello corrumperent, urbs hæc ſeſe ferè continuit, ac contra vim tutata eſt, ſi quæ inferretur. Nec ſe contentioni quæ inter Guilielmum Juliacenſem & Johannem Bloſii Comitem erat, immiſcuit, ſed pacem pacta fuit, donec controverſia terminaretur de jure ſuc-

ſucceſſionis. Prudenter omnino. Nam cum cauſa belli occulta eſt, & jus ambiguum, præſtat quieſcere, quam ſe parti alterutri adjungere, præſertim ubi nos contra utriuſque partis vim tueri poſſumus.

10. Conſueverant olim Doesburgenſes, Dynaſtæ Barenſi fidem ac Sacramentum dicere. Quod Adolphus Dux, eumque poſtea ſecutus Carolus filius, abrogarunt. Cauſa, ex jure Majeſtatis petenda. Ibi enim plenum dominium, cum uni Sacramentum dicitur.

11. In bello contra Hiſpanos Ordinum partes initio ſectata. Dein à quibuſdam prodita, ejecta præſidio, iterum Hiſpanienſis eſſe cœpit. Donec Robertus Dudlæus Comes Liceſtriæ, captam reſtitueret.

DISSERTATIO VIII.

De Vrbe Hardervico.

1. HARDERVICUM, prænobilis Velaviæ urbs, Auſtrino adſita Sinui, qua is ſe Hollandiam inter & Friſiam, latè terris immittit, & marium dives beneficio, & terrarum eſt. Quod in urbium ſtructura præcipuè ſpectandum. Unde illa Dinocratis ratio improbata

Ma-

Magno Alexandro fuit, qui urbem ſe Athoni Theſſaliæ monti impoſiturum ſpondebat. Cum enim Alexander quæreret, unde tot hominibus in ſterili loco alimentum? *Hoc*, inquiebat Dinocrates, *non cogitaram*. Ergo Alexander locum condendæ urbis nobiliſſimum elegit, qui & Oceani gauderet beneficio, & ubere gleba fertilis eſſet, impoſuitque ingentem Ægyptio mari Alexandriam.

2. Antiquitas urbis tanta eſt, ut Originem ſuam, velut Nilus fontes, multorum involvat ſeculorum lapſibus. Ex paſtorum creditur primum emerſiſſe caſis: atque hinc nomen, haud improbabili conjectura, velut *Paſtoritium*, dicas *vicum*, deducitur. Quanquam priſcorum terra *Vriorum*, quos in hoc tractu Plinius collocat, & quorum reliquias nobis ac nomen vicina urbi inſula, *Vrk*, oſtendit, id omnino nobis perſuadeat, caput quondam illius, gentis fuiſſe: unde & Hardervico nomen & municipio *Hurten*.

3. Incrementa ſua tribus imprimis debet, piſcaturæ, mercaturæ, literis. Et *Piſcatura* quidem auſtrini maris, uberrimum civibus commodum præbet atque emolumentum, præſertim ex quo *Stapulæ*, ut vocant, jus, Dux Arnaldus

A. Ch.

A. Ch. cIↄ cccc xliii huc peculiari privilegio tranſtulit. Nimirum pleraque ad Oceanum oppida piſcaturæ initium ſuum debent & incrementum. Atque hinc ſuperiori ſeculo mirabatur orbis, tam ſubito ex piſcatoriis caſis ingentem emerſiſſe Rempublicam, ut Jeſuita Strada teſtatur. *Mercatura*, præcipuus Reipublicæ nervus, per vicinas latè ac remotiores terras, à multis abhinc ſeculis floruit. Quæ tot Ducum Regumque privilegiis ornata, majorem indies acceſſionem urbi attulit. Nam Reinaldus III A. Ch. cIↄ ccc xlviii. privilegia Hardervicenis Zutphanienſium paria conceſſit, hebdomadales etiam & annuos mercatus, tum jus civitate donandi, quos vellent, dummodo liberi & ſui juris eſſent. A. Ch. cIↄ cccc xxxv. *Arnaldus* Dux iiſdem teloniorum per univerſamGelriam immunitatem conceſſit. Nec parciores exteri Principes, imprimis in vicinia poſiti. Quos inter *Iohannes* Hannonius Hollandiæ Comes A. Ch. cIↄ cc xcix. Hardervicenſibus tutam ac plenam exercendi per ſuas ditiones commercia poteſtatem fecit. Secuti exemplum Friſii A. Ch. cIↄ ccc xv. & inſequente xix. nec non Colonienſes A. cIↄ ccc xliii. Imprimis Regum Daniæ

Daniæ magnus erga hanc urbem affectus fuit. Quippe *Ericus* VII Danorum Slavorumque Rex liberam civibus navigationem & mercaturam per regni ſui ditiones cum aliis immunitatibus indulſit, ac inſuper locum amplum & liberum in nundinis Scanorenſibus perpetuo ac ſeorſim poſſidendum. Quæ pacta ſæpius poſtmodum renovata ſunt. Nam quod nonnulli mercaturam inter ſordidas artes referunt, abſonum plane videtur. Poteſt quidem ejus eſſe ſordidus abuſus, non rei ſed hominum vitio, id quod mercaturæ non magis imputandum eſt, quam circulatoria agyrtarum medicinæ. Nobis illa Bodini placent: *Eſt mercatura non tantum civitatibus utilis, ſed etiam honeſta; nec ſolum honeſta, verum etiam neceſſaria.* De *literis*, quibus urbem hanc incrementum cepiſſe diximus, proxima diſputatione agendum erit.

4. Ingenia civium quod ſpectat, ut nihil jam de humanitate, induſtria, fortitudine, & aliis virtutibus dicamus, peculiari etiam in literas affectu ac animi propenſione feruntur. Nam & inter ipſos multi eximia doctrina conſpicui, & omnes literatorum amantes ſunt. Quod cœli poſituræ & aëris conſtitutioni adſcribendum, Cicero author eſt. *Athenis*

inquit *tenue cœlum*, *ex quo acutiores putantur. Attici; craſſum Thebis, itaque pingues Thebani & valentes.* Hinc Plato Diis gratias egit, quod ſe natura Græcum feciſſent, non barbarum: Athenienſem, non Thebanum. Ordines autem Civium quatuor ſunt: Nobiles, mercatores, opifices, piſcatores.

5. Incrementum urbs duplici nomine cepit. Nam & intra ſe crevit & exterius aucta fuit. Ac *internum* quidem incrementum quod ſpectat, id in muris, propugnaculis, arcibus, ædificiis, vallo, conſiſtit. Otto III. idemque VII. Gelriæ Zutphaniæque Comes, A. CIↃ CC XXIX eam primum, civitatis privilegio & Naſſovicis donatam inſignibus, muro cinxit. Quod inſtitutum Gelriæ ſaluberrimum fuit, cum adhuc nudata fere propugnaculis, hoſtium expoſita continuis direptionibus fuiſſet. Cui malo ut obviam iret Otto, non Hardervicum modo, ſed etiam Arnhemum, Ruremondam, Gocham, Wageningam & Bomeliam communivit. In quam poſtea curam imprimis Carolus Egmondanus incubuit. Cujus opera firmiſſimis contra Burgundos molibus confirmata fuit ad Orientem pariter atque Occidentem. Eas tum arces, liberis cæteragentibus graves, neceſſitas excuſavit.

ſavit. Poſtea A. CIↃ IↃ LXXVIII. cives utrumque illud, Tyrannidis hactenus Hiſpanicæ clauſtrum, everterunt. Nam arces præſidiis obfirmatas habere, periculoſum eſt libertatem amantibus. Nulla libertas, ubi arces cervicibus impoſitæ. Quod exemplo Antverpienſium, Mediolanenſium, Neopolitanorum, patet. Tandem urbi vallum adjectum, quod nulla munitio ad ſuſtinendam hodierni belli vim validior ſit. Ædificia varia, tum ſacris deſtinata uſibus, tum civium commodis, acceſſere. Barbara enim Turcarum ratio, qui nullam ædificiorum rationem in urbibus ſuis habent, contenti caſulis & tuguriolis. Nobis Auguſti inſtitutum probatur, qui Romam ſe ex lateritia marmoream feciſſe gloriabatur. *Externum* incrementum in agro ſuburbano conſiſtit. Quem Arnaldus Dux ita auxit, ut Occidentem verſus protenſus eſſet ad exitum uſque agri ejus, qui *Rabbencamp* vulgo dicitur, & ab altera parte ſupra *Beeckhuyſen* ad mare uſque. Quicunque intra hunc limitem agerent, jure & immunitatibus civium fruebantur. Multum in eo ſitum eſt, ut ager ſuburbanus quam ampliſſimus ſit. Anguſtiſſimo tamen ſub initia Romani potiebantur. Florus: *Tibur, nunc ſuburbanum, & æſtiva Præneſte de-*

liciæ, nuncupatis in Capitolio votis petebantur. Idem tunc Feſulæ, quod Carræ nuper, idem nemus Aricinum, quod Hercynius ſaltus, Fregellæ quod Geſoriacum, Tiberis quod Euphrates. Eadem hodie federati Belgii, ac urbium in ea ratio, poſtquam quotidie noti per utramque Indiam orbis metas transmittunt & ſupra Japanos ac Bandam, ignotas cunctis inſulas, detegunt.

6. Inter alia urbis privilegia hæc eminent. Habet Senatum perpetuum. Nulla provocatio datur niſi in quibuſdam caſibus. Jus in noxios capite animadvertendi. Monetam Ducalem. Tum conſenſu civium nova vectigalia inſtituendi poteſtatem. Male Trajanus Boccalinus privilegia urbium vocat pomum Eridis. Non enim peccant qui jura majorum defendere conantur, ſed qui ea violant, illi inexpiabile committunt ſacrilegium. Nec ullus juſtior defenſionis titulus, quam pro avitis ſuſceptus privilegiis. Tunc *Dulce ac decorum eſt pro patria mori.*

7. Clades varias, ac calamitates ingentes, diverſis temporibus ſenſit. Unam quidem ex incendio atrocem. An. cIↄ Iↄ III pridie Kal. Aug. Tota tum urbs, ad ſummum ſex ædibus exceptis, in cineres ſubſedit, ac multi ſimul mortales,

præ-

præſertim Scholaſtici ,, perierunt. Ultimum illud civitatibus malum, quod ex incendio imminet. Unde *incendiarii* ab Imperatoribus *ad beſtias damnati*. Plerumque tamen oppida ex incendio luculentiora ſurgunt, quod etiam Hardervico contigit. Quo abuſus argumento Nero, urbem Romam miſerabili incendio delevit, ut eam ſplendidiorem inſtauraret. De quo Tacitus xv. Annal. Frequentiores ex bello calamitates, cum modo ab Ultrajectinis, Burgundionibus, Hollandis, caperetur. Donec tandem eluctata varios caſus Ordinum Gelriæ Imperio accederet.

8. Unum adhuc urbi, cætera optimè conſtitutæ, deeſt, portus ad navigantium uſum, commodus. Quod cum maris & littorum vitio contigerit, inter illa quæ noſtræ poteſtatis non ſunt, referendum eſt. Nam & Staveram, olim ditiſſimum emporium, & Armuydam Zelandiæ, obſtructis portubus, in magnam incidiſſe calamitatem, novimus. Ita hodieque paulatim Embdanus portus & Amſtelodamenſis obſtruuntur. Non tamen deſunt ex Thalaſſometris, qui exiſtiment, poſſe huic vitio induſtriam hominum mederi. Id quod quamprimum expectamus, Deo adjuvante conſilia publica.

DISSERTATIO IX.

De Academiis in univerſum, & ſpeciatim de Academia Gelro-Zutphanienſi, quæ eſt Hardervici.

1. AD perfectam Reipubl. conſtitutionem imprimis neceſſariæ ſunt Scholæ atque Academiæ, quæ ſunt *collegia publica, in quibus Studioſa juventus à Doctoribus facultatum, artium, & linguarum, inſtituitur, ac meritis honoribus, legitimo more, ornatur, ad Dei gloriam & Reipublicæ utilitatem.*

2. Ejuſmodi collegia, ab omni ævo, in bene conſtitutis Rebuſpublicis, fuere: imprimis tamen Ægypto, Syria, Chaldæa, India, Græcia, Imperio Romano, ac Sinis. Athenæ autem caput omnis in vetere orbe eruditionis cenſentur, κοινὸν πάντων ἀνθρώπων παιδευτήριον Diodoro, παίδευσις Ἑλλάδος Thucydidi, Ἑλλάδος Ἑλλὰς Euripidi apud Athenæum. Quo nomine inferior Sparta fuit. Quintilianus: *Minus Lacedæmonia ſtudia literarum, quam Athenis honoris merebuntur.*

3. Ergo illa Imperia haudquaquam barbariei opprobrium effugere poſſunt, quæ omnem literarum ac humanitatis cultum, etiam edictis, proſcribunt. Qualia ſunt,

ſunt, Moſcoviticum, Tartaricum, Turcicum. Quanquam enim *Turcæ*, ab Arabibus, aliquam eruditionis notitiam acceperint, ea tamen Orientalis tantum eſt, & admodum confuſa, imperfecta ac rara. *Moſcovitæ* autem omni eruditioni bellum indixerunt perpetuum, ac inter Imperii munimenta referunt, craſſam ignorantiam. Barclaius Icone Animorum: *Fertur populus adeo rudis literarum eſſe, ut pauciſſimi teneant vulgares preces, quibus numen propitiamus.*

4. Nam quod literarum ſtudia obeſſe Reipublicæ nonnulli contendunt, ac propterea Principes, quaſi adverſæ Majeſtati Muſæ eſſent, ab illis deterrent, ſtolidum barbarumque eſt. Quorum quidem anteſignanus fuit Ludovicus XI. Galliæ Rex, qui filium ſuum non ultra hæc verba in Latinis ſapere voluit: *Qui neſcit ſimulare, neſcit regnare.* At laudanda illorum Principum exempla, qui eruditionis amantes fuerunt. Quales *Carolus* Magnus, *Carolus* IV. *Iacobus* Magnæ Britanniæ Rex, *Mauritius* Haſſiæ Landgravius, *Auguſtus* Dux Brunſvicenſis, *Ludovicus* Princeps Anhaldinus, etiamnum ſuperſtites, & alii complures. Veriſſimum enim Platonis effatum eſt, quo etiam M. Antoninus Philoſophus uſus fuit:

Florent civitates ſi Philoſophi imperant, aut Imperatores philoſophantur.

5. Quod cum Illuſtriſſimi Gelriæ Zutphaniæque Ordines ſecum perpenderent, ex Gymnaſio Velavico, Provincialem unanimi conſenſu ACADEMIAM fecerunt. De cujus conſtitutione jam agendum eſt.

6. *Cauſa* igitur, qua impulſi ad Academiam hanc conſtituendam Ordines, *Princeps*, idemque *ultimus finis*, gloria DEI fuit, quæ in conſervanda Eccleſia ac Republica imprimis eluceſcit. Hinc *Iulianus* Apoſtata, cum Religionis Chriſtianæ excidium animo concepiſſet, Scholarum uſum ejus Profeſſoribus interdixit. Florent cum literis Eccleſiæ & concidunt. Tum craſſiſſimæ in Papatu tenebræ, cum barbaries ſumma. Quod circa nonum ſeculum contigiſſe, Bellarminus annotat. Cujus verba ſunt: *tam indocta tum erant tempora, ut qui Philoſophiæ operam navabat, vulgo Magus putaretur.* Nec aliunde horrenda illa Idololatria fluxit, quam à literarum ignorantia ac contemptu. Quem inſulſus ille nebulo, S. Franciſcus inter ſuos aluit ac edicto injunxit, ut ex blaſphemo *Conformitatum* libro, *Vinea*, *Legenda* Bonaventuræ, aliiſque Monachorum monumentis, pa-

tet.

tet. *Cauſæ* minus principales ac *ſecundariæ*, complures referri poſſunt, ex quibus præcipuæ *Vberes illi fructus, jam à multis annis ex illuſtri Gymnaſio Velavico hujus urbis percepti*: Item, *ut juventus à Martis ad Minervæ ſtudia traduceretur.* De quo verba Magnifici & Ampl. Senatoris ac Curatoris Academiæ Juſti Vygii in προδρόμῳ Orationum Inauguralium hæc ſunt: *Ne illa tabes ſerperet ulteriùs, Patriæ Patres ſeriò diſpiciendum putârunt, quo pacto optimè poſſent juventuti conſulere, ferorum mores emollire, omniaque ad priſcum aureæ ætatis ſtatum redigere. Facile autem viderunt, non aliud eſſe huic malo præſentius remedium, quam ingenuas artes ac ſcientias. Quæ ut caput altiùs exſerant, non contenti fuerunt veteris Athenæi formâ, etſi minimè aſpernandâ, ſed illud, nec laboribus, nec ſumtibus parcendo, evexere ad ſublime Academiæ decus, & privilegiis variis decorarunt.* Denique, cum omnes fere Belgii fœderati Provinciæ ſingulas excitaſſent Academias, Ordines decus illud, etiam Ducatui Gelriæ, & Comitatui Zutphaniæ deberi, prudentiſſimè judicarunt.

7. *Forma* hujus Academiæ, & anima, in Diplomate conſiſtit, quo Perilluſtres

Ducatus Gelriæ & Comitatus Zutphaniæ Ordines, Hardervicenſe Gymnaſium, jure & privilegiis Academiæ donarunt. Verba huc ſpectantia hæc ſunt: *Conceſſimus & indulſimus & Diplomate hoc concedimus atque indulgemus, ut Illuſtris hoc Tetrarchiæ Velavicæ Gymnaſium bonis avibus ad Provincialis Academiæ faſtigium aſcendat, & eandem auctoritatem, idem jus ac privilegia obtineat, quibus ab conditoribus ſuis Univerſitates aliæ ornatæ atque adfectæ ſunt. Ea propter advocatis Academiæ novæ clariſſimis Profeſſoribus, ac vocandis deinceps, poteſtatem facimus, præcedente juſto examine, & ſpectata Candidatorum peritia, creandi facultatum omnium Doctores, Licentiatos, ac Magiſtros, dandique indices eruditionis & honoris tabulas; quas dignitatis ejuſdem atque æſtimationis haberi volumus, cujus ſunt, quæ ab Academiis reliquis & Univerſitatibus conceduntur.* Ex quibus manifeſtiſſimum eſt, Academiam hanc, æque magna obtinere privilegia & authoritatem, ac aliæ quævis, ſive à Pont. Romano, ſive Cæſare, Regibus, Principibus, ac Rebuſpubl. conſtitutæ Academiæ. Cum enim Ordines fœderati Belgii in univerſum, ac ſeparatim ſingularum Provinciarum, nullum in his terris Domi-

Dominum aut ſuperiorem agnoſcant, cunctis fruuntur Majeſtatis privilegiis: inter quæ illud vel ex præcipuis eſt, novas condere Academias. Non igitur neceſſarium fuit privilegia ab aliis petere, cum par in parem non habeat imperium, & plura ne Cæſar quidem indulgere potuerit, quam Ordines Gelriæ & Zutphaniæ indulſerunt.

8. Quemadmodum autem in omni Republica Legibus opus eſt: ita quoque Academiæ illis reguntur atque conſtituuntur. Præclare Cicero: *Sine lege nec domus ulla, nec civitas, nec gens, nec hominum univerſum genus ſtare, nec rerum natura omnis, nec ipſe mundus poteſt.* Harum legum aliæ Academiam in univerſum ſpectant, veluti de *honoribus* conferendis, de *commiſſis delictis*, de *immunitatibus*: aliæ ſigillatim Profeſſores ac ſtudioſos. Quæ *Profeſſores* ſpectant duûm generum ſunt: aliæ enim ad omnes ac ſingulos pertinent: veluti quod debeant eſſe Ecclesiae Membra, *viri honeſti & vitæ inculpatæ*: quod *bonum ac honos Academiæ ſummus ipſorum ſcopus eſſe debeat*: aliæ ad Rectorem Magnificum ac Senatum Academicum ſpeciatim. Quæ ſtudioſos ſpectant, omnes eo diriguntur, ut vitatis vitiorum ſcopulis ac inquina-

mentis, quam maximum ex Academia fructum doctrinæ, pietatis, modeſtiæ, bono Eccleſiarum ac Reipublicæ, reportent.

9. Ac ut harum legum illibata conſervetur memoria, ſaluberrimè ſtatutum: *ut quotannis electionis novi Rectoris die, relegantur.* Ita Cretenſium antiquus legiſlator, Talo ſuo, in publicandis repetendiſque, ſtato tempore, legibus, uſus eſt. Ita in Rebus publicis, renovato Magiſtratu, plerumque fieri ſolet.

10. *Subjectum* recipiens, ſive *Locus*, Academiæ Gelro-Zutphanicæ, urbs Hardervicum eſt. *Muſis aptiſſima ſedes*, tam commodo ſitu, ut ipſe Apollo, cum novem Muſis, huc ſe recepiſſe videatur. In meditullio fœderati Belgii poſita, facilem undique acceſſum receſſumque, commeantibus præbet. Civitas vetus literarum amansque ac Gelrorum jam longo tempore Athenæ.

11. *Privilegia* hujus Academiæ alia ſunt *communia*, immunitas à portoriis: alia *ſingularia*, nuper in Comitiis, communi Gelriæ Zutphaniæque Ordinum conſenſu, indulta. Pro quo beneficio Academia toti Provinciæ amplas agit gratias. *Honos alit artes.* Nulla liberalitas in Rempubl. uberiora commoda refundit,

dit, quam quæ ſtudiis impenditur. Veriſſimum enim illud Senecæ, *Vita ſine literis mors eſt & vivi hominis ſepultura.*

12. Præcipuum Academiarum decus in multitudine docentium pariter ac diſcentium conſiſtit. Hinc qui Academias conſtituunt imprimis operam dant ut quam florentiſſimæ ſint. Quales olim duæ imprimis, Oxonienſis & Pragenſis, fuerunt, quæ aliquando multa ſtudioſorum millia habuerunt. Ac tempore Henrici III. quindecim ſtudioſorum millia Oxonio dimiſſa ſunt. Triginta millia ſub Eduardo III. ibidem numerabantur. Ex quibus magni ſæpe exercitus conflati. Sicut etiam in Germania, obſeſſis urbibus Academicis, hoc bello factum. Velut Heidelbergæ, ubi aliquot centuriæ ſtudioſorum, nomina ſua bello dederunt, cum eam Tillius oppugnaret. Hoc enim Pallas cum ægide ſua ac Gorgone; in haſtam innixa ac clypeum, noſtræ inſigne Academiæ, armata innuit.

DISSERTATIO X.

De Navigationibus & Portubus.

1. NAVIGATIO, præcipuum Reipublicæ augendæ atque illuſtrandæ

inſtrumentum, conducit tum ad *neceſſitatem*, in ſterilibus inſulis & tempore belli; tum ad *commoditatem*, in parandis opibus, dominio, ſplendore. Ut non minor maris in Republ. quam terrarum uſus ſit.

2. Summus haud dubie, atque in humanis ultimus maris navigationumque finis eſt, commerciorum opportunitas. Cum enim homo ſit animal Sociale, nec uno omnes loco contineri queant, nec omnia omnis ferat tellus, ita ut alter alterius auxilio indigeat; tum ad vitæ humanæ facilitatem, tum ad animorum conciliationem, Deus navigationem inſtituit, qua famulantibus undis ventisque, per univerſum orbem, qui magna inſula, expeditus tranſitus atque profectio datur. Hoc medio Oriens Occidenti jungitur, & Boreas cum Auſtro familiaritatem colit, ac omnia habet, qui mare liberum habet.

3. Atque hinc patet vanas eſſe illorum criminationes, qui in navigationes, velut rem temerariam, & ab humana vita alienam, debacchantur; qui nil niſi naufragii, tempeſtates, pericula, mortem, loquuntur. Obliti ſcilicet, providentiam divinam non terris, non Oceano cludi, & eſſe ſuas mari quoque ſerenitates ac proſpera ventorum. Quin potius, ſi rem re-

ℭta

ᵭa æſtimemus ratione, maritimum terreſtri longe præferendum iter videtur. Ut nulla jam opus ſit Catonis pœnitentia: *quod, quo terra pervenire potuiſſet, navi iverit*.

4. Quod dicunt maritimas civitates, propter illa cum tot gentibus commercia, corruptiores illis eſſe quibus nullum cum mari negotium, nihil ad rem facit. Vitia excludi à Rep. nec terra poſſunt, nec mari. Non importantur tantum, ſed & innaſcuntur. Non hæc navigationis, ſed malè navigantium culpa, nec neceſſitas imponitur Reip. maritima vitia tolerandi, ſed puniendi lex. Etiam virtutes in Rempublicam navigatio derivat, & feras barbaraſque gentes, quales Americani & Indi, ad mitiorem cultum traducit. Ut Lycurgi lex; quæ omnes omnino peregrinos non modo à mœnibus & civitatibus, verum etiam à portubus arcebat, ex humano genere ad Timones releganda ſit. Illud in univerſum conſtat, magis verſutos, vafros, & ubique ſuo commodo intentos reddi, qui mare tractant. Quod vel vicina nobis Batavia comprobat.

5. Quanquam vero mare navigantibus commodiſſimum ſit, parum tamen proficies, niſi habeas portus amplos fidaſque ſtatio-

ſtationes, ad navium in tempeſtatibus, ſecuritatem. PORTUUM alii *naturales* ſunt, *artificiales* alii. *Naturales* quos ipſa natura, ſine prævio artificio, ſive in prima rerum omnium creatione, ſive poſtea, caſu aliquo, terræ motu, diluvio, efformavit. Tales paſſim per totum orbem, ut Meſſanæ, Maſſiliæ, & alibi. *Artificiales*, quos humana induſtria elaboravit. *Sive* juvando naturæ conatus, & corrigendo defectus, ut Oſtiæ à Claudio Cæſ. factum. De quo memorabilis Suetonii locus: *Portum Oſtiæ exſtruxit, circumducto dextra ſiniſtraque brachio, & ad introitum, profundo jam ſalo, mole objecta; quam quo ſtabilius fundaret, navem ante demerſit*. Eadem arte Genua, Palermum, Horna, & aliæ urbes portus ſuos confecerunt; idemque de Hardervico noſtro ſperare nos jubent conſilia publica Civiumque liberalitas. *Sive* ſolo artificio. Quemadmodum Carthaginienſes à Scipione obſeſſi, ac jam amiſſo, qui præſtantiſſimus erat, portu, alterum ab alia urbis parte foderunt, unde quaſi innata ſubito claſſis erupit, Floro teſte.

6. Ad bonum portum hæc præcipuè requiruntur. Ut liber à ſcopulis, arenis, brevibus, idemque profundus ſit. Ut forma lunari. Ut non nimiæ capacitatis.

Ut

Ut noctu vel tempore neceſſitatis cludi queat catena vel alio repagulo, ſicut ille ad Damiatam, quem Harlemenſes flagrante bello ſacro, aperuerunt. Ut Pharum aliquam, prælucendis noctu navibus, habeat. Ut, cum contra alios ventos tutus, tum imprimis à Boreæ flatibus, exemtus ſit.

7. Tanta autem portuum neceſſitas eſt atque utilitas, ut nulla unquam maritima Reſp. ſine illis caput extulerit, aut aliquid memorabile geſſerit. Contra vero plurimæ gentes urbeſque, portuum commoditate, etſi modicis viribus, magnam potentiam atque ſplendorem, acquiſiverunt. Sic Athenienſes cum Piræeum & Munychiam haberent, dominio maris, ac magna Græciæ & Aſiæ parte, facile potiti ſunt. Notum eſt Venetorum Rempubl. huic maxime incrementa ſua debere. Sic Embdam ſuperioribus annis & Antwerpiam portuum bonitate, excelſiſſime floruiſſe, novimus.

8. Princeps quidem navigationis portuumque finis, commercia ſunt. At non deeſt & alius, qui res bellicas ſpectat. Maritimæ Reſp. ſua nec defendere abſque claſſibus queunt, nec alios oppugnare. Bellum igitur illis terra marique gerendum, & quod mari geritur, terreſtri, propter

pter graves cauſas, præferendum cenſemus.

9. Proximum à maritimis locum illæ habent civitates, quæ fluvio navigabili fruuntur. Idque eo magis ſi utroque fruantur, & fluvii alicujus, & vicini maris, commodo. Qualis olim Memphis, hodie Alcahira, Londinum, Sevilia. Flumina quo ampliora, eo commodiora, ut Danubius, Rhenus. Nec tamen ex æquo omnia onerum feracia. Cauſa ex aquarum diverſitate. Quæ quo viſcoſior, eo ferendis oneribus aptior; quo ſubtilior, eo minus. Sic Sequanam flumen mediocre, tanta ſuſtinere onera, ut fere incredibile ſit, tradunt, cujus aquæ, fere inſtar ſmegmatis, viſcoſæ.

10. Quanquam vero ſumma navigationis portuumque ad augendam Rempubl. utilitas ſit; ſola tamen non ſufficit. Sic portus maritimus Meſſanæ multo præſtat Neapolitano. Duplo tamen major Neapolis ſi multitudinem ſpectes. Ita portus Carthagenæ longe ſuperior Genuenſi. Genua tamen immane quantum præſtat. Igitur præter mare, flumen, portus, ſolum fertile, alia adhuc ad augendam & illuſtrandam Rempubl. requiruntur. Quæ illa ſint, alio tempore ediſſeremus.

Dissertatio XI.

De Tranſiſalania in univerſum, & ſpeciatim Vrbe Zwolla.

1. AB Iſala Rheni alveo, Transisalania appellatur, regio inter Gelros, Friſios, Weſtphaloſque poſita. Primi Francorum reges, ad Chriſtianiſmum converſi, cum paſſim Epiſcopatus fundarent, vacuas Dominis regiones Epiſcopis, non tam dominio Politico quam Eccleſiaſtico, regendas aſſignarunt. Sed cum tempore crevit faſtus Epiſcopalis, qui deſerta Paſtorali cura, Principes ſe Duceſque conſtituerunt, quod imprimis circa A. Chriſti Iↄcc factum eſt. Eá occaſione ad Friſios convertendos, qui obſtinatiſſime cum vicinis Saxonibus paganiſmo adhærebant, conſtitutus eſt Epiſcopatus Trajectinus. Cumque poſt obitum Sancti Willebrordi, Friſones ad paganiſmum relaberentur, Winfridus ſive Bonifacius Anglus, cum multis piis viris eo profectus, Trajectenſem Epiſcopen in Archiepiſcopatum evectam Moguntinæ ſedi circa Annum Iↄccxl. conjunxit. Sed poſt ipſius à Friſiis Doccumenſibus, cædem, Adalbertus Anglus S. Suiberti conſanguineus Trajectenſis non Archiepiſco-

epiſcopus, ſed Epiſcopus factus, ſub Diœceſi ſua univerſam Transiſalaniam habuit.

2. Sedes Epiſcopalis Trajectum fuit; ſed aliquoties, ſive bello, ſive ſchiſmate, Daventriam tranſlata. Nam cum ſub Radbodo Epiſcopo, qui ab Adalberto undecimus, Dani Trajectum vaſtaſſent, ſedes aliquandiu Daventriæ fuit. Deinde cum Canonici in Epiſcopo eligendo diſſentirent, Transiſalani Rudolphum Diepholdium, Ultrajectini Walramum Mœrſanum Comitem Epiſcopum acceperunt, cui Suederus Culemburgius ſucceſſit, qui & ipſe paulo poſt Ultrajecto pulſus Dordraci ſedem Epiſcopalem collocavit; donec Diepholdius, remoto æmulo, ſolus iterum Epiſcopatu potiretur.

3. Poſt obitum Philippi à Burgundia, cum Henricus Comes Palatinus ſucceſſiſſet, perpetuis à Carolo Gelriæ Duce bellis exagitatus, publici boni cauſa, ditionem totam civilem Carolo V. Imp. tanquam Burgundiæ Duci, tradidit, ſervata ſibi & ſucceſſoribus integra Juriſdictione Eccleſiaſtica; quam transactionem Pontifex Romanus Clemens VII. confirmavit. Ita A. Ch. cIↃ IↃ XXVIII. ditiones Ultrajectina, Transiſalania, Trentia, Twentia, Provinciis Belgicis inſertæ ſunt,

ſunt, & Transiſalania cum Trentia & Twentia, unam ex ſeptendecim conſtituit.

4. In hac Henrici cum Carolo V. transactione obſervandum eſt, eam *aſſenſu Ordinum* factam. Princeps enim vendere vel abalienare Rempublicam propria authoritate non poteſt, nec eandem poteſtatem, quam privatus in ſuas poſſeſſiones, habet. Unde inter Tyrannidis notas ponitur, ſi princeps Rempublicam ipſi commiſſam, ſine conſenſu ordinum, abalienet & in alium transferat. Deinde, *diverſam eſſe juriſdictionem Eccleſiaſticam à Civili*, & non ſeparabilem tantum in caſu neceſſitatis, verum etiam ſua natura ſeparatam. Nihil magis à Chriſtiana profeſſione alienum quam eoſdem & Epiſcopos eſſe & Principes; duplicem gladium Canoniſtarum gerere; exercitus ducere & Euangelium prædicare, claves Petri ſimul ac gladium Pauli habere. Quod opilio ille, Archiepiſcopo Colonienſi armato obvius, recte obſervavit.

5. Inter primas Hanſeaticarum urbium locum habuere ex Transiſalanis, Daventria, Campi, Zwolla. Illa tot urbium Societas fere Achæorum Rempubl. refert; & inſtituta fuit ad frenandam vicinorum Principum Regumque ambitionem,

tionem, imprimis qui tum libertati Balticæ formidabilis erat, Waldemari III. Danorum Regis.

6. Bellum Tranſiſalanum A. cIↃ IↃ xx. inter Campenſes & Zwollanos exortum fuit. Cauſa ejus, controverſia de telonio in Iſala flumine. Zwollani, quibus univerſa propemodum adverſabatur nobilitas, ut ultionem de hoſte ſuo caperent, Carolum Gelriæ Ducem evocarunt. Defendebant autem Zwollani cauſam ſuam his verbis: *Se Epiſcopo jusjurandum dediſſe ut patrono & protectori, non ut oppreſſori & hoſti, in ſalutem Reip., non perniciem. Qui ſi inimicus ex amico factus, civitatem deſtruat, non tueatur, eum fide, ſe vero ſacramento ſolutos eſſe.* Eventus is fuit. Transiſalani bello exhauſti, pacem cum Carolo fecêre, rati qualemcunque civili bello præferendam. Inter alias conditiones hæc quoque fuit: *Se à morte Philippi neminem Epiſcopum admiſſuros, niſi qui pacem cum Gelris ſponderet.*

7. Sed Zwollanis pax hæc vehementer diſplicuit: unde etiam in Carolum alieno eſſe animo cœpere. Urbs ipſa factionibus ſciſſa; plures pacem velle: Senatus cum paucis Gelrum tueri. Hi ſuccubuêre; & nonnullis ex ſenatu in carcerem conjectis, Gelricum præſidium ejectum

ctum fuit. Ipſe Carolus urbe primo excluſus, mox intromiſſus quidem, ſed cuſtodia cinctus, gravem auctoritatis ſuæ jacturam fecit. Obſidio hinc, ſed in irritum, ſecuta. Zwollani & cæteri Transiſalani, agnito errore ſuo, & dum civilibus contendant armis, exteris ſeſe prædæ eſſe videntes poſitis ſimultatibus, fœdus & amicitiam inter ſe inſtaurant. Quod gravius Carolum irritavit. Qui Transiſalaniæ occupandæ ſtudio, ut Principatum quam latiſſimè, à Rheno ad Amiſiam extenderet, bellum varia fortuna continuavit. Pacem quidem daturus Transiſalanis, ſed hac imprimis conditione: *Vt Gelrorum Principes in ſempiternum Diœceſis Vltrajectinæ tutores eſſent.* Agnovere obtentum Transiſalani, & titulo tutelæ dominationem quæri non ignorabant. Ita bellum acrius reſumtum, quo coactus Henricus Præſul tandem ſummo cum Caroli detrimento, univerſam ditionem ſuam Burgundis tranſcripſit, ut ſupra relatum. In Carolo id reprehenditur, quod nimis duras Transiſalanis conditiones præſcripſerit. Carolus culpam in legatos ſuos contulit qui ſuperbius in conventu Daventrienſi egerant, & Transiſalanos ad deſperatum illud atque extremum Burgundicæ dominationis

con-

conſilium, impulerant. Nimirum duobus infirmioribus de præda litigantibus, tertius plerumque potentior eam utrique eripit.

8. Campi, Daventria, Zwolla, officinas monetarias, tanquam Imperii oppida, jam olim habuere. Id privilegium cum Carolus Cæſar An. cIↃIↃ LIII. infractum iret, Transiſalani acriter, ſed fruſtra, ſe oppoſuerunt. Jus monetæ cudendæ inter regalia non minimum obtinet locum. Certe in Oriente ſolus Imperator ſummus eo utitur. Hinc in Saracenorum Hiſtoriis duo hæc fere ſola Majeſtatis jura ſunt: *Vt Principis nomine in ſuggeſtu oretur: & moneta eodem inſigniatur.*

DISSERTATIO XII.

De Vrbe Campenſi.

1. TRANSISALANIAE Campi accenſentur, quanquam cis Iſalam & in Velaviæ ſolo. Urbs vetus, ſplendida, dives, prope vetera Romanorum navalia. Originem & incrementa ab eo tempore cœpit, quo fides Chriſtiana ſub Carolingis per Ultrajectinos Epiſcopos his oris introducta.

2. Nomen Hanzeaticæ ſocietati jam olim

olim ſuum quoque adſcripſit. Cujus confederationis prima origo Balticis ſive Vandalicis urbibus debetur, quæ pro mutua contra Waldemarum Daniæ Regem defenſione, ſeſe obſtrinxerunt, imitati veterem Achæorum Rempublicam. Ut quæ ſingulis hoſtibus ſuis impares erant, conjunctis viribus eorum impetum facile ſuſtinerent. Poſtea acceſſerunt aliæ quoque urbes longius diſſitæ magis pro commerciorum uſu, quam belli gerendi ergo. Unde quatuor civitatum Hanzeaticarum metropoles conſtitutæ, *Brugæ* in Flandria, *Londinum* in Anglia, *Novogardia*, Ruſſiæ & *Bergæ* in Norwegia.

3. Novum decus Campenſibus A. CIↃ CCCC XCIV. acceſſit, titulus ac privilegium liberæ & Imperialis civitatis. Cum enim Maximilianus I. in Wormatienſibus Comitiis conqueſtus de Imperii infirmitate fuiſſet, conſultum viſum plures urbes Imperio adſcribere, maxime in limitibus, præſidio ac tutela contra hoſtes. Ac tum præter Zwollam ac Daventriam, Campenſes quoque illam dignitatem, quæ in Imperio ſingularis momenti, obtinuerunt.

4. Status ſub Epiſcopis Ultrajectinis frequenter turbatus fuit. Quippe inquieti Præſules potiorem ſemper temporalium

quam ſpiritualium habuerunt rationem, & de ſe dictum exiſtimarunt; *reges gentium dominantur.* Ut autem hæc prolixiora omittamus, memorabile bellum contra Herbertum Puttenſem A. cIↄ ccc LXXIV. geſſerunt, in quo tandem arx ejus, ex quo vicina longe lateque oppida infeſtarat, deſtructa fuit. In ea obſidione Campenſes Romanis machinis, & nominatim Ariete compoſito uſi fuerunt. Arces munitæ nobilium Civitatibus infeſtæ eſſe ſolent, ex quibus viciniam omnem deprædantur. Quæ per Germaniam imprimis ſub diuturno illo octodecim annorum interregno, poſt Friderici II. mortem cœperunt, ac quarum etiamnum, tanto cum provincialium damno ſuperſunt per montes hinc inde ſparſæ reliquiæ. Helvetii, cum diu quoque arcium harum Tyrannidem toleraſſent, tandem initio fœderis ſui, omnes exſcindere per ditiones ſuas cœperunt, ipſumque Habſpurgum, cui Auſtriaca domus incunabula ſua debet, ita everterunt, ut non minimo ejus contemtu, hodie brutorum ſtabulum ſit.

4. Sed graviſſimum illud bellum fuit, quod Campenſes inter ac Zwollanos A. cIↄ Iↄ XXI. geſtum. Occaſionem amnis Vechta præbuit, per quem navigatio inſtituta, ut telonium, quod ad Iſalæ oſtium Cam-

Campenſibus antiquo jure pendebatur, declinarent. Hinc mutuæ querelæ, odia ac controverſiæ. Campenſes novum in Vechta telonium exigere: Zwollani abnuere. A verbis ad rem deventum: cumque Campenſes Zwollenſem navim in ſinu Auſtrino captam abduxiſſent, illi vindictam ſumere ac deprehenſos Campenſes detinere. Nihil profectum in componendo diſſidio, exacerbatis utrimque animis. Bellum ergo decretum.

6. Plerumque eorum cauſæ ſub initia tenues ſunt ac tanto animorum motu indignæ: donec irritati novis injuriis tenere modum, ira præcipites ac vindictæ ſtudio, non poſſint diſſidentes. Ita olim ereptus canis Scotos ac Pictos, apri caput Ætolos & Acarnanes commiſit. Cæſar Carolus V. tanquam Imperator cognitionem cauſæ judiciumque ad ſe traxit, cujus etiam Majeſtas non parum hoc bello Tranſiſalano lædebatur. Quippe cum inter jura Majeſtatis præcipua ſit belli gerendi poteſtas, patet neminem Imperio ſubjectum ſine conſenſu omnium Imperii ordinum bellum concitare vel gerere poſſe. Sed Carolus propriis vexatus malis, quæ implacabilis æmulus ejus Franciſcus Rex Galliæ fovebat, medicinam huic morbo afferre tum non potuit, u-

triſque & Zwollenſibus & Campenſibus ejus ſtudia ſuſpectantibus.

7. Carolus Gelriæ Dux juratus Burgundicæ domus hoſtis, hæc diſſidia Tranſiſalanorum in ſuum commodum vertere cœpit. Quippe verum eſt quod prudentiæ Conſulti tradunt: duobus infirmioribus inter ſe certantibus tertium potentiorem utrique imminere. Hac ratione, Philippus Macedo Græcos in poteſtatem ſuam redegit, dum civilia inter urbes fovet diſſidia ac feſſos ſub Imperium recipit. Zwollani nihil penſi habentes quid de patria ſua fieret, dummodo hoſtibus ſuis nocerent, Carolum contra Campenſes evocarunt. Atque hinc novæ turbæ, & abalienati à Zwollanis plurimi provincialium, quibus ſuſpecta creſcens indies Gelrorum potentia. Facile concitatum bellum difficulter nec niſi utriuſque partis gravi damno ſopiri potuit. Verum enim vulgare illud de bellis civilibus; *Victus flet, victor interiit.*

8. Qua occaſione cum Epiſcopatu Ultrajectino tota quoque ad Burgundicam domum Tranſiſalania devenerit A. cIɔ Iɔ XXVIII notum eſt. Ita Campenſes, Reip. Belgico-Burgundicæ pars facti, communem cum cæteris fortunam habuerunt uſque ad initia motuum Belgicorum.

corum. Poſt Gandavenſia pacta rupta, cum miles præſidiarius Ordinum imperio parere nollet, ac urbem Johanni Auſtrio aſſereret, Rhennebergius obſeſſam A. cIɔ Iɔ LXXVIII. expugnavit.

DISSERTATIO XIII.

De Vada.

1. PRæclare Tacitus v. Hiſtoriarum Gelriæ antiquum ſitum & urbes his verbis deſcribit: *Præſidia cohortium, alarum, legionum, modicis vicis quadripartita Civilis invaſit: decimam legionem Arenaci, ſecundam Batavoduri, & Grinnes Vadamque cohortium alarumque caſtra.* Et paulo poſt: *Plus diſcriminis apud Grinnes Vadamque. Vadam Civilis, Grinnes Claſſicus oppugnabat.* Jam dudum docti tum ex ſitu tum ex nominum affinitate judicarunt Arnhemium, Duroſtadium, Rhenas & Wageningam eum deſignare, ipſius Velaviæ limitem & clauſtra. De quo nunc prolixiores non erimus, id dicere contenti Vadam Romanum præſidium urbi Wageningæ initia dediſſe, cujus etiam antiquitas hinc eluceſcit.

2. Memorabilis fuit Vadæ obſidio, ſuſcepta à fortiſſimo Batavorum Duce Cl.

Civili, qui inter civiles Romanorum mortuo Nerone de principatu diſcordias, pulcherrimam ſibi datam exiſtimabat occaſionem repetundæ libertatis. Nec deſtituiſſet eum ſucceſſus, niſi invidia gentilium obſtitiſſet, aliorum potius cum dedecore, quam ſuorum cum libertate imperia ferens. Inter quos Julius Briganticus Civilis è ſorore nepos, odio avunculi Romanas ſecutus partes, Vadam ſtrenuè defendit & in ipſa illa oppugnatione fortiter pugnans cecidit. Eadem Arminii Cheruſcorum Ducis fortuna fuit, qui nullos infenſiores hoſtes quam cognatos & populares ſenſit, à fratre oppugnatus, à patruo deſertus, à ſuis tandem interemtus.

3. Sub Imperio Francorum Vada nomen ſuum ac ſitum paulum immutavit, dicta *Wagenùwega*, *Wageneynda*, tandemque *Wageninga*. Nec ſitus hodie per omnia reſpondet, à Rheno remotior, ut vel tranſlatam neceſſe ſit vel Rhenum mutaſſe alveum ſuum, cujus indicia non levia paſſim extant.

4. Quod autem urbibus limitaneis commune malum eſt, Vadæ quoque incremento non leviter obſtitit. Cum enim in confiniis Cliviæ Hollandiæ, & Ultrajectinæ diœceſis ſita ſit, illis, quod fre-

quen-

quentiſſimum ſuperiori ævo, hoſtibus, non levia ſenſit damna, obſeſſa & expugnata ſæpius. Imprimis fatali illo Gelris bello quod poſt obitum Adolphi Ducis contra Burgundicæ domus injuſtam dominationem gerebatur. Tum enim Maximilianus I. Imperator & Princeps Belgarum, Vadam per Johannem Cliviæ Ducem expugnavit, qua capta parum abfuit quin totius Velaviæ Imperium ad ſe traherent Clivenſes, cum inſuper Arnhemum, Nikerkam, & alia loca pignoris titulo & in ſolutionem impenſarum bello factarum tenerent. Ita enim plerumque fieri ſolet in bello ſociali ut quiſque pro ſe pugnet ac occupata retineat, & publicum bonum in privatas commoditates vertatur, quemadmodum etiam Anno cIↄ ccc LXII factum in bello Principum, Galliæ cui Boni publici nomen fecerunt, cum revera pro ſua quiſque potentia ac dominatione certaret.

5. Cum Maximilianus Vadam à Clivenſi Duce certis conditionibus recepiſſet, Carolus verus ac legitimus Gelriæ Dux de ea recuperanda tanquam Velaviæ firmiſſimo clauſtro, ſeriam curam ac cogitationem ſuſcepit. Recepta fuit Anno milleſimo quingenteſimo ſexto tanta Maximiliani cum jactura, ut ſtatim magnis

cum copiis Princeps Areſchotanus ad eam denuo obſidendam miſſus fuerit, quæ obſidio, cum fortiſſimè reſiſterent obſeſſi, paulo poſt in irritum cecidit ac ſoluta fuit.

6. Poſtea cum aliis Gelriæ urbibus Reipublicæ fœderati Belgii acceſſit, & inter Velaviæ Ordines ac oppida tertium locum in Comitiis occupat. Ita enim μίξιν illam, quam in Republica ſummopere commendat Ariſtoteles, Gelri expreſſerunt, dum æquali jure ordinem Equeſtrem ac Civitates cenſent, ne alterutra parte præponderante oriatur diſcordia ac Reipublicæ convulſio. Hic eſt ille ſtatus medius inter Tyrannidem & Democratiam proportione Geometrica, quem Plato omnium dixit optimam ac præſtantiſſimam.

7. Quoniam verò nulla major in Politicis ars eſt, quam ex parva Republica magnam poſſe efficere, hinc Magiſtratus parvarum civitatum omnes intendere nervos debent ut ſuam Rempublicam quavis ratione augeant, ornent, illuſtrent ac ſplendidiorem ad poſteros tranſmittant. Videmus enim frequenter oppidula tenuia brevi tempore ad ſummam magnificentiam emergere; quemadmodum urbs illa urbium Amſtelodamum ante

ante tria ſecula vix tot piſcatorias caſas, quot nunc templa & palatia, numerare potuit. Nulla expeditior & juſtior augendæ Reipublicæ ratio quam mercatura eſt, unde opes ac vires facile parantur. Mercatura navigationis commoditatem requirit; & ad eam exercendam commodiſſima ſunt loca quæ navigabilium pariter fluminum & vicini Oceani beneficio gaudent.

Dissertatio XIV.

De Vrbe Elburgo.

1. Inter quinque Velavicas urbes, ultima loco, non dignitate, Elburgum cenſetur, auſtrino ſinui aſſita, paſcuis læta, antiquitate ſpectabilis, & quanquam minor ambitu, opibus tamen privatis & publicis nulli cæterarum inferior. De cujus prima origine nihil quidem produnt monumenta majorum. Caſtellum olim fuiſſe limitaneum videtur, & fortaſſe Romanorum opus, ac collocant antiqui Geographi in hoc tractu Aliſonem caſtellum. Probabile cum Navalia Romanorum fuerint Campi, etiam Elburgum ei vicinum hos habuiſſe primos conditores.

2. Cinctum muro circa A. Ch. cIↄ

ccc xcv à Guilielmo Duce ac oppidi privilegia accepiſſe, Hiſtorici referunt. Cauſa præcipua, non modo quod paſcuis cincta eſſet lætis ac maris vicini commoditate gauderet, verum potiſſimum quod in ipſo Velaviæ limite ſita, præſidium toti Provinciæ contra hoſtes tum temporis frequentes, Ultrajectinos Epiſcopos, præberet. Ac recte quidem Guilielmus Dux exiſtimavit, mœnia & alia propugnacula, neceſſaria eſſe ad defendendam Rempublicam. Neque enim ſimpliciter probanda Spartanorum ratio, quæ ſolam civium fortitudinem hoſtibus opponendam cenſebant. Non enim vir fortis inermem ſe ac nudum hoſti objicere debet, verum potius latus lorica ac ferro munire.

3. Id imprimis ad gloriam hujus urbis facit, quod cum pleriſque Gelricis urbibus etiam Elburgum nomen ſuum inter Hanſeaticas profiteatur. Ex quo patet olim mercaturam feciſſe cives non contemnendam, præſertim per mare Balticum. Hanſa enim civitatum præcipue contra extorſiones & oppreſſiones Regum Daniæ, qui ſunt Domini freti Sundani; inſtituta fuit. A quibus alias quoque immunitates Elburgum impetravit, nimirum à telonio & oneribus ſimilibus.

Quod

Quod non leve cenſeri debet beneficium. Id enim dederunt operam priſci Gelrorum Duces, præcipue Carolus Egmondanus, ut ſingularem cum Daniæ Regibus amicitiam ac plerumque fœdus ſtrictum colerent, nec ſemel utilem operam iis navarunt, ſicut monumenta publica teſtantur. Unde illa in Gelricas urbes, præ aliis, larga benevolentia & liberalitas fluxit.

4. Formam Reipublicæ Elburgum Ariſtocraticam habet una cum reliquis Veluviæ urbibus. Qui potiſſimum gubernandi modus propterea placuit, quod minus obnoxius eſſet mutationi. Unde etiam Plato perfectiſſimum Reipublicæ ſtatum illum docuit, qui inter Tyrannidem & Democratiam eſſet medius, quod nonniſi de Ariſtocratia dici poteſt. Senatum conſtituunt Duodecim viri, conſulum & Scabinorum titulo, qui perpetuum gerunt Magiſtratum nullius authoritati obnoxium, adeo ut à ſententia ipſorum non detur provocatio. Ex quo quidem facile colligitur quanta ipſorum ſit authoritas ac quantum juſtitiæ & æquitatis ſtudium. Provocatio quippe reperta fuit contra Magiſtratuum injurias, qua læſus iniqua ſententia poterat ad alium vel ſuperiorem judicem cauſæ ſuæ cognitionem referre.

5. Quemadmodum vero nihil eſt ab omni parte beatum: ita varias quoque viciſſitudines, caſus, adverſa bellorum, aliaſque publicas calamitates Elburgum pertulit, ſalva tamen ſemper erga Principes ac Rempublicam fide. Quæ quidem laus propria Germanorum ac imprimis Friſiorum, quorum magnifica illa in theatro Romano jam olim audita vox fuit: *Nullus mortalium armis aut fide ante Germanos eſt.*

6. Neque vero damna ab aliis ſibi viciniſve illata per ſocordiam Elburgenſes tulêre, ſed jam ante annum CIƆ CCCC LXXIX Amſtelodamenſibus Hardervicenis moleſtis, ac piraticam in ſinu auſtrino & vim apertam exercentibus, paria retulerunt damna. Nam ubi jure amplius agi non poteſt, nec ablata reſtituuntur, jure gentium licet & vel bello repetere ac repreſſaliis, ut barbarè ſed ſignificanter Juriſconſulti loquuntur, uti.

Dissertatio XV.

De India Orientali.

1. Indiae nomen perantiquum eſt. Orientales cum adſpiratione ſcribunt *Hind*, Hebræi *Hodu*. Olim una tantum cognita fuit; poſtea etiam aliis regioni-

gionibus id nomen impoſitum. Nam & *Habaſſiam* ſive Presbyteri Johannis regnum, & *Cataiam* Tatariæ, *Indiam* medii ævi ſcriptores appellarunt. Superiori demum ſeculo in Orientalem & Occidentalem diſtincta, cum Americam Indiæ, vel continentem, vel conterminam Columbus & primi novarum terrarum detectores, exiſtimarent. Unde Hiſpaniola illis *Zipangri* ſive Japon, Mexico *Quinſay* Sinæ viſa fuit.

2. Primos Indiæ incolas ex Joktani poſteris fuiſſe ſatis conſtat, tum aliis argumentis, tum quod *Ophir* auriferæ regioni celebre in ſacris literis nomen impoſuit. Id tanquam ſingulare quid Diodorus Siculus obſervat, quod *cum India multis variiſque gentibus incolatur, nulla tamen peregrinam habeat originem, ſed omnes indigenæ putentur, nec unquam vel ab externis accepiſſe, vel in aliam nationem emiſiſſe colonias perhibeatur.* Quorum ut concedam poſterius, ita exterorum colonias ne ipſi quidem diffitebantur Indi in ſuis de Bacchi & Herculis adventu Hiſtoriis. Et quid Alexandri Magni coloniis per Indiam notius? Noſtro ævo Mogolum ex Tataria, Luſitanorum, Belgarum, Anglorumque ex Europa ingens multitudo ſeſe in Indiam penetravit,

travit, meliore ejus parte occupata.

3. Præcipua quæ exteros ad frequentandam Indiam movit ratio, mercaturæ ſtudium fuit. *Impiger extremos currit mercator ad Indos.* Quippe regio auri & argenti, tum gemmarum, ſerici & aromatum feraciſſima, his immane quantum inhiantes mortales, nulla longi & difficilis itineris ratione habita, ad ſe, jam antiquiſſimis ſeculis, pellexit. Hæc Indica mercatura primo Phœnicum fuit & Ægyptiorum: ab his ad Romanos pervenit: donec eam ad ſe transferrent Veneti, quibus Luſitani Batavi & Angli ſucceſſerunt.

4. Nihil nunc de Salomonis & Hiromi in Ophiram navigationibus dicemus, de quibus prolixe Pineda & alii. Nec Romanorum conatus Indici nos morantur, quos brevi evanuiſſe conſtat. Venetorum conſiderare diligentiam operæpretium eſt. Hi, florente Orientis Imperio, aromata & alia Indiæ mercimonia non niſi Conſtantinopoli, Alexandria & aliis Aſiæ Emporiis, petierunt. Primam Indiæ notitiam ipſis expeditiones in Palæſtinam aperuerunt, cum occupata Ptolemaide merces ex ſuperiori Aſia per Perſiam Halebum, inde porro in Europam deferri poſſe, didiciſſent. Ac quamvis Genuenſes

ſes & Piſani hanc illis fortunam invide- rent, ac per vim, bellis gravibus motis, ad ſe transferre ſatagerent, ſuperiores tamen Veneti, Indicas gazas obtinuerunt. Hinc immenſæ illis opes ac primatus inter omnia Europæ emporia, ut per Germaniam, Galliam, Hiſpaniam, Angliam aliaſque regiones, colonias quaſi mercatorum condiderint. Nec aliunde Fuggerorum pluſquam regiæ divitiæ quam ex aromatum Indicorum Venetiis tranſlatorum mercatura.

5. Sed omnium antiquorum in mercatura ſtudium ac experientiam quam longiſſime Luſitani ſuperarunt. His exterior Africa ſub Alfonſo V. innoteſcere cœpit, cujus patruus Henricus circa A. Ch. CIↃ CCCC LXXV. ſuperato promontorio *de Non*, quod inſuperabile hactenus putatum, *Gineam* primus maritimo itinere detexit. Unde ſpes novarum terrarum in Atlantico Oceano accenſa ſub Johanne II. qui ipſe cum Regia familia in Gineam ac recens detectam Congonem navigavit & miſſis terreſtri itinere in Indiam exploratoribus de ejus ſtatu certiora inquiſivit. Sed obſtitit pertinaciſſimum Promontorium Africæ extremum ac plures naves id circumvectum miſſas, abſorpſit; unde deſperata in Indiam

diam navigatio per Oceanum Atlanticum videbatur. Dictum inde *promontorium tempeſtatum*, & ad ſolum ejus nomen auditum nautæ exhorreſcebant. Donec tandem A. Ch. cIↃ cccc xcvII. Vaſco de Gama, auſpiciis Emmanuelis Bonæ ſpei, promontorio feliciter ſuperato, in ipſam Indiam, primus Europæorum, circumnavigata Africa, penetravit.

6. Ita Luſitanis India aperta fuit ac eos repente maximis opibus cumulavit. Quippe Rex miſſo Prætore viro prudentiſſimo, pactis cum Cochini Rege & aliis barbaris fædere, Goa capta & ibi arce tum belli, tum mercaturæ conſtituta, Imperium in ea ſibi ſtabilivit & ad poſteros tranſmiſit.

7. Quanquam verò opes quas Luſitani ex India hauriunt, ſint immenſæ, id tamen habent incommodi non ipſi tantum, verum etiam Caſtiliani, quod naves plurimas quotannis naufragio amittant. Sic A.Ch. cIↃ ccccc xc. ex ccxx navibus Indicis, quatuordecim tantum in Hiſpaniam appulerunt. Neque ullus annus ejuſmodi funeſtis naufragiis deſtituitur. Cauſa præcipua in ipſis Luſitanis ſita eſt, quorum navarchi plerumque ſuperbi & temerarii ſunt, de quo luculentus teſtis Linſchoten legi poteſt, & miſerrimum nau-

naufragium ad *Baxos de Iudia* teſtatur. Accedit & altera cauſa, quod naves immani pondere ita onerent, ut plurimæ in ipſa via cum omnibus opibus mergantur. Præcipuum periculum ipſis ad Africæ *Terram de Natal*, & Caput Bonæ ſpei ex *Ollo de Boy*, nubecula horrendarum tempeſtatum feraci, dependet. Sed potiorem cauſam ipſis Luſitanis adſcribendam certum eſt. Unde A. 1589. Luſitanus quidam navarchus cum ad Terram *de Natal*, & C. *de Buena Eſperanca* tempeſtatibus jactaretur, *mirari ſe* dixit, *cur Deus Luſitanos, qui tamen eſſent Catholici & boni Chriſtiani, ſemper ita torqueat ad Caput Bonæ Spei, cum tamen Angli, hæretici & impii homines, id facile ſuperent.*

8. His incommodis permoti, de alia via in Oceano invenienda laborarunt, quam etiam A. 1587. navarchus ille cujus ad Baxos de Iudia memorandum naufragium, reperit, nimirum extra Maldivas & Syrtes, in patenti Oceano, cujus perſpecta commoditate Senatus Indicus decrevit, *ut impoſterum, tanquam ſecurior, teneretur.*

9. Aliam plane rationem diverſæ Europæ gentes inſtituerunt. Nam cum navigatio in Indiam circum Africam tam difficilis, periculoſa & diuturna, plurimi co-

conati ſunt breviori compendio per alias vias, in eam penetrare, ac in freto vel mari detegendo, pertinaciter laborarunt, tanta contentione, ut nullam omnino orbis partem intentatam relinquerent. Quidam enim per Americam ſeptentrionalem, ut *Caſpar Cortes Real*, ſive *Cortereali*s, *Sebaſtianus Gabotus*, *Martinus Forbiſſerus*, *Henricus Hudſon*; alii per Americam Auſtralem, ut *Americus Veſputius*, *Ferdinandus Magellanes*, *Iacobus le Maire*, alii per mare Tataricum & fretum Vaygats, ut *Cornelius Nay* & *Linſchoten*, alii ſupra Novam Zemblam per ipſum polum arcticum, ut *Wilhelmus Barentſonius*, id fieri poſſe exiſtimarunt. Sed eventus voto & exſpectationi nondum ſatisfecit. Quanquam enim nonnulli novas in Indiam vias detexerint, ut *Ferdinandus Magellanes*, cujus navis prima de circumnavigato orbe præclarum triumphum egit, & *Iacobus le Maire*: experientia tamen docuit, difficultatem auctam potius quam imminutam fuiſſe. Unde hactenus recepta Luſitanorum via obtinuit, & breviores per mare Tataricum non deſperatæ quidem, ſed propter incertitudinem, omiſſæ ſunt, propoſitis interim præmiis, ſi quis privatus ſuis impenſis & periculo, certiora exploraret.

10. Cum

10. Cum igitur ſoli Caſtiliani & Luſitani haberent monopolia Indica, tandem Batavi, partim bello coacti, partim lucri ſpe allecti, cum mare cenſerent liberum & in India hoſtes haberent, ingenti animo, nec minore ſucceſſu, eò naves ſuas deſtinarunt. Sed primo privati, ſparſis viribus, adeoque minus commode. Mox anno 1595. Ordinum authoritate, in ſocietatem, certis legibus & privilegiis redacti, tanta ceperunt incrementa, ut Luſitanis univerſæ amittendæ Indiæ terrorem injicerent. Aucta ingentibus divitiis Reſpublica, expugnatæ hoſtium arces, regna armis vel fœderibus in partes tracta, denique India Belgica multis firmiſque coloniis contra omnem vim firmata eſt, capite Imperii in Inſula Java & urbe *Batavia* conſtituto, unde in omnia Imperium eſſet.

11. Hanc fortunam vicini aliquoties divertere & inturbare conati, parum vel nihil hactenus promoverunt, pleraque loca vel Luſitanis vel noſtris tenentibus. Nuper etiam alia & nova via, per Ruſſiam, Tatariam, Perſiam, Mogoliam, tentata: ita ut per mare Caſpium & Volgam merces tandem ad Balticum ſinum deportarentur. Quod cum mille difficultatibus, periculis, & incommodis involutum

lutum eſſet, ita mox irrita legatione, evanuit.

DISSERTATIO XVI.

De Origine, Conſtitutione, Incremento, Mutationibus & Conſervatione, Sereniſſimæ, Potentiſſimæ & Florentiſſimæ REIPVBLICAE *Belgicæ.*

1. REMPVBLICAM Belgicam ſeptem provinciæ, Gelria, Hollandia, Zelandia, Ultrajectum, Friſia, Tranſiſalania, & Groninga, communi fœdere unitæ, conſtituunt & abſolvunt. Penes has omnia majeſtatis & dominationis jura, belli, pacis, legum, fœderum, abſoluta & independens poteſtas, nulli Imperatori, Regi vel Principi, obnoxia aut ſubjecta. Par omnibus & æqua, velut inter ſocios, collegas, fratres ac fœderatos, authoritas, & quanquam aliæ Ducatus, aliæ Comitatus, aliæ Dominatus titulo diſtinguantur, id tantum ex antiquo Statu retentum, nullius nunc poteſtatis majoris & ſuperioris Dominii, argumentum eſt.

2. Ex hac libertatis veluti arce, armorum, commerciorum & fœderum titulo, dominationem ſuam Reſpublica iiſdem

iiſdem quibus ſol, terminis, id eſt univerſi ambitu, concluſit. Quaſi cum Hiſpanis, non pro libertate modo, verum etiam de Imperio certaret. Nec contenta eos provinciis ſuis pepuliſſe, Brabantiæ & Flandriæ magnam partem, tum in Aſia, Africa & America ampliſſimos tractus, Regna, Inſulas, Provincias ſibi ſubjecit: ut terrarum ac ditionum magnitudine quibuſvis, potentia multis, felicitate vero & bonitate cauſæ, omnibus anteferenda ſit. Quod ſi Reſp. Veneta, propter Cypri & Candiæ exigua regna, regibus æqualem ſibi dignitatem adſcribit, quanto meliori jure fœderatum Belgium, cujus majeſtatem maximi Reges agnoſcunt, eodem privilegio utetur?

3. In ejus originem inquirentes, ſive invidendos ſucceſſus, etiam ex hoſtibus præcipui dubitant quid potiſſimum mirentur: *unde paucis Belgarum Provinciis ea confidentia, ac vires tantæ, quibus potentiſſimo cum Rege, ſeptuaginta jam annos terra marique ex æquo decertaverint? Vnde ad Bataviæ oram è piſcatoriis aliquot navigiis nova repente Reſpublica extulerit caput? quæ armis in dies prævalida ſuperiorem pati nec terrâ velit, nec mari jam poſſit. Quæ magnis per Oceanum claſſibus ad remotiſſimos terrarum*

tractus

tractus colonias invexerit. Quæ ſtatis apud Principes legationibus mutuiſque fœderibus, non minorem ſe Regibus ferens, novum ſibi in Europa Principatum aſſeruerit. Vnde Belgici agri, inter aſſiduas armorum tempeſtates atque procellas tanta gignendis frugibus ubertas, alendoque bello non loci minus, quam hominum pertinacia. Plane ut in aliis terris peregrinari Mars, ac circumferre bellum, hic armorum ſedem fixiſſe videatur.

4. In Originibus igitur Reip. Belgicæ exponendis, mirum non eſt, tam diverſa tradi ac inter ſe non raro pugnantia. Quoſdam enim ſtudia partium, alios affectus nimii, nonnullos ipſa ignorantia, in errores abripit: plerique confuſione peccant, dum nec principia à cauſis, nec has ab occaſionibus, quod accuratè faciendum Polybius monet, diſtinguunt. Nobis ante omnes explodendus eſt Famianus Strada, qui in gratiam Hiſpanorum, ipſe Italus & Jeſuita, Romæ Bellum Belgicum ſcribens, id ſibi dari negotii credidit, Philippo ut placerent quas feciſſet fabulas. Hinc mendaciſſimæ ejus calumniæ paſſim ingeminant, Hæreſis, Ambitio, Orangius: quibus tribus omnem belli Belgici cauſam & Reipublicæ originem adſcribit.

5. Non

5. Non aliis rectius prima initia cauſaſque tantæ mutationis ediſſeremus verbis, quam Illuſtrium Hollandiæ & Weſtfriſiæ Ordinum, in decreto de jure Reipublicæ Batavicæ, condito Harlemi 16 Octob. 1587: *Non alia Belli Belgici cauſa aut tumultuum origo, in medium adferri poteſt (quiquid vulgo contra diſſeratur) quam quod Philippus vi armata per Hiſpanos & alios exoticos milites extorquere à nobis voluerit, quod comitia Ordinum publica utilitati adverſarium judicabant.* Quibus prudenter ſubſcripſit optimus belli Belgici ſcriptor Reydanus.

6. Igitur in læſa & violata Belgarum libertate, vera belli Belgici cauſa, & ex eo natæ Reipublicæ, conſiſtit. Magnam enim Belgarum libertatem fuiſſe, *earum adminiſtrationem prope acceſſiſſe ad civitatum liberarum formam* in confeſſo apud omnes eſt, & ipſe, tam iniquus cætera Strada fatetur. Porro libertatis Belgicæ duo ſumma fuerunt capita, Religio & Reſpublica. Utrumque Philippus multis modis infregit, violavit, peſſundedit.

7. Libertas Religionis ſive Eccleſiaſtica conſiſtebat in non augendo Epiſcoporum numero, abolendis Abbatiis, Monaſteriis, Sacris Ordinibus, non inſtituendis novis tribunalibus, Inquiſitione Hiſpanica invehenda

benda perſecutiones excitanda fidei ergo. Quippe in hæc omnia jurare Philippus initio principatus cogebatur. Sed immemor juramenti ſui, ſævum, atrox & implacabile bellum Religioni indixit. Abbates & Monachi clauſtris ſuis ac reditibus evoluti, in eorum loca ſubrogati Epiſcopi, homines ſanguinolenti, faſtuoſi, in ſolidum libertati gentis adverſantes, ut pro quatuor jam quatuordecim numerarentur, totidem quaſi per ſingulas Provincias tyranni, & conſcientiarum carnifices. Hoc modo Clerus per univerſum Belgium à Rege abalienatus. Qui non contentus hoc malo, duo alia longe atrociora adjunxit, Inquiſitionem Hiſpanicam, & Concilium Tridentinum, fidemq; fecit immani perſecutione ſua tormentorum infernalium, cum quotidie innocentiſſimi cives, vel leviter ſuſpecti, comburerentur, ſuſpenderentur, decollarentur, ſubmergerentur, in carceribus necarentur, proſcriberentur, bonis omnibus & vita immaniter ſpoliarentur.

8. Non minorem calamitatem Reſpublica ſenſit, in cujus privilegia, immunitates, leges, impune, & præfracte, ac quod contemtibilius, per fœminam Margaretam Parmenſem, & exterum Burgundionem Granvellanum, Hiſpanus

graſſa-

graſſabatur. *Primo* retenti in Belgio, etiam poſt confectum bellum Gallicum, Hiſpani milites, quid aliud erant niſi exercitus veteranus, ad opprimendam Ordinum libertatem, ut quod jure non poterat, armis extorqueret Philippus? Nihil apud eum valuerunt preces tot vicibus repetitæ: *abduceret inviſam gentem:* quanto ipſi ardentius promiſſa repetebant, eo ille ſegnius ac contumacius renitebatur. *Deinde* aliam longe Philippus in regendo Belgio rationem, quam Pater Carolus obſervabat. Hic comis, affabilis, propenſus in Belgas, *ille nec viſu facilis, nec dictu affabilis ulli, parce loqui, nec niſi Hiſpanice: publico abſtinere & quaſi ex abdito venerationem intendere; de veſtitu deque cætero cultu quem ab Hiſpania attulerat, nihil immutare: totus ab Hiſpanis ſuis pendere, Belgas haud obſcure dedignari & faſtidire*, ut non inconcinne hanc partem Strada deſcribit. Quo vivendi genere non potuit non animos nobilitatis à ſe & Hiſpanico faſtu in totum abalienare; unde odium, contemptus, denique novi Status cupido animos inceſſit. Verum enim illud Poëtæ, *Quem metuunt oderunt. Quem quiſque odit, periiſſe expetit.* Et illud Ciceronis: *Nulla vis Imperii tanta,*

E *quæ*

qua premente metu poſſit eſſe diuturna.

9. Hæ primæ motuum & turbarum cauſæ. Populus metu inquiſitionis in furorem actus tumultuari, effringere carceres, captivos liberare, confringere ſtatuas, quod privatim interdicebatur, publicè prædicare Euangelium. Nobiles clam favere cœptis, palam fœdus inire, libellos ſupplices exhibere, deprecari (ſed armatis precibus) inquiſitionem ac Caroli placita, nomen *Gheuſiorum* ſibi imponere. Unde diviſo in duas factiones, Anno 1566. Belgio bellum cœpit, quod cum ſtudio & opera Margaretæ Parmenſis jam reſediſſet, importunus Ducis Albani adventus, iterum ex cineribus ſuſcitavit ac inextinguibile fecit.

10. Ferdinandus Toletanus Dux Albæ, jam inde uſque à Gandavenſi rebellione inviſum Belgis caput, quidquid hactenus odii & abalienationis contra Hiſpanos, adventu ſuo, immane quantum auxit, *dum ad Provincias veluti ſubigendas armatus acceſſit: dum Hiſpanos milites in Belgium reduxit, eoſque & arces urbibus impoſuit; dum captis Egmontio & Hornano vocatoque ad cauſam dicendam Orangio, author Regi factus ne cuiquam aliquid condonaret.* Nam quod Strada Albani perſeveram inviſamque Belgis admi-

adminiſtrationem, belli tantum occaſionem principiumque, non cauſam fuiſſe vult, in eo non leviter errat. Quæ enim potior bellorum cauſa, quam odium publicum, quo Albanus immaniter conflagrabat? quod acrius ad arma telum, quam decuſſi ſummorum procerum totque nobilium vertices? quam conſilium ſanguinolentum, quam decimæ, vigeſimæ, & centeſimæ tributum? quam millia hominum octodecim manu carnificis mactata? Hæc ſcilicet Jeſuitis occaſiones tantum & principia, non etiam cauſæ bellorum ſunt. Ubi vero illa Principis Orangii quam ad ravim uſque jactat, ambitio? ubi clandeſtina illa conſpiratio, quam Jeſuita nefariè confingit? Niſi forte vitam ſuam ac liberos contra crudeliſſimos latrones (qualis Albanus) defendere, miſerrimorum & innocentiſſimorum civium patrocinium, contra immanem tyrannidem ſuſcipere, ſit ambitioſum eſſe.

11. Hollandi igitur & Zelandi, defenſore libertatis ac Religionis adſcito Guilhelmo Principe Auriaco, ejus ductu contra Albani, Requeſenii, Johannis Auſtriaci, Alexandri Farneſii Tyrannidem, quam juſſu & authoritate Philippi exercebant, ſtrenuè ſeſe defenderunt, auxi-

liis ex Gallia, Anglia, Germania, certatim acceptis. Cumque ſpem nullam pacis in Philippo deprehenderent, eundem Principatu dejecerunt, omnemque in perpetuum obedientiam Hiſpanis renunciarunt 27. Jul. 1581. in hæc verba: *Philippum Regem quod jurata Belgis privilegia non ſervaſſet, Principatu Belgii excidiſſe, ob eamque cauſam Belgarum Populos (ipſo Philippo in Belgii inauguratione permittente) à fide obedientiaque jam liberos, novum ſibi Principem, Franciſcum Alenconium deligere.* Cujus quidem conſilii author imprimis & ſuaſor Auriacus fuit, cum alia ratione ſalvum Belgium eſſe non poſſet, quam ſi rejecto implacabili hoſte Philippo, in alterius potentis Principis clientelam ſeſe ac ſinum conjiceret.

12. Hæc prima Reipublicæ Belgicæ initia, ſed tenuia, fuerunt. Habebant quem fugerent Hiſpanum, quem ſequerentur, adhuc ambigebant. Facilius erat antiquam repudiare, quam novam reperire Rempublicam. Ante omnia tamen fundamentum præſentis ſtatus jactum fuit in Ultrajectino fœdere A. 1579. Cujus hæ præcipuæ conditiones: *Gelria, Hollandia & cæteræ ditiones æterno fœdere ita ſibi invicem illigantor ac ſi una omnium*

mnium ditio foret, & à fœderatis æternum non divelluntor. Singula ſua privilegia & immunitates, integra & illibata conſervanto. Invicem ſeſe contra omnem vim defendunto. Controverſias maturè componunto. Eorum qui contravenerunt & contravenire perſtiterint, bona, urbes, arces, cæteris invadere licitum & juſtum eſto.

13. Hoc fœdus, quam unionem appellamus, & à qua Provinciæ Unitæ nomen acceperunt, ſacra Reip. Belgicæ anchora, fundamentum libertatis & Religionis dici poteſt. Non enim aliter conſervari concordia inter tam diverſas Provincias, quam mutua ſocietate poteſt. Tolle unionem, Religio collabetur, Reſpublica peribit, cuncta in antiquum chaos ac meram confuſionem redigentur. Unum ſalutis medium concordia, ſed ea, niſi per unionem ac fœdus, ſervari nequit.

14. Fœdere icto, Reſpublica formam ſuam accepit ac optimis legibus conſtituta fuit. Primo quidem ſingularum Provinciarum Legati titulo Ordinum Generalium, Comitiis habitis, Summum Militiæ Imperatorem ac Provinciarum Rectorem conſtituerunt Guilhelmum Auriacum. Et quoniam perpetuo opus erat Senatu, Conſilium Status fundatum,

rebus interea dum Ordines convenirent, adminiſtrandis. Donec tandem, auctâ jam Republica & poſcente neceſſitate, perpetuus Senatus ORDINVM GENERALIVM FOEDERATI BELGII, conſtitueretur, cum inſignibus quæ concordiæ & Unionis indicia ſpectantibus eſſent. Quippe leo faſciculum ſeptem telorum arctiſſimè colligatorum ferociens oſtentat, documento ſeptem Provincias indiſſolubili fœdere junctas Religionem ac Libertatem ſuam leonina fortitudine contra quoſvis defenſuras.

15. Generalium Ordinum eſt omnia quæ commune fœdus ſpectant, militiam, fœdera cum exteris, legationes, bellum, pacem, ſumma poteſtate tractare, ſalva interim ſingularum Provinciarum Majeſtate & juribus. Non enim initum eſt à Provinciis fœdus, ut jura Imperii ſingulorum populorum confunderentur, ſed ut illa inviolata melius defenderentur. Ac jura Majeſtatis ſingularum Provinciarum evidentia ſunt ex tributis & impoſitionibus, moneta, legibus, edictis, conſtitutione Academiarum; aliiſque, Unionem ipſam in genere non ſpectantibus. Hi Ordinës Generales pro numero Provinciarum ſeptem ſuffragia conficiunt. Quanquam enim plures ab una Provincia mitti poſ-

ti poſſint, non tamen viritim colliguntur ſuffragia, ſed per ditiones nationeſque, & perinde habetur unus an plures ſententiam dicant. Plura ſuffragia concludunt, exceptis quæ tributa aut inſignem aliquam Reipublicæ mutationem ſpectant, in quibus unanimis omnium conſenſus deſideratur ex recepto collegiorum more.

16. Ita fundata, ita conſtituta libera Belgii Reſpublica, tanta mox ſumpſit incrementa, ut vix credibile poſteris ſit tam brevi tempore contra potentiſſimum hoſtem tot res geri potuiſſe. Non immerito Muhammedes III Turcarum Imperator, in hujus rei conſideratione, rejectis omnibus præſidiis & auxiliis humanis, ſolum Deum cauſam conſtitutæ auctæ & ſervatæ Reip. Belgicæ, nominavit. Poſſunt autem, ordinis ergo, quatuor veluti gradus incrementorum ejus conſtitui.

Primus ab A. 1581. ad 1609, id eſt, ab ipſa origine uſque ad duodecennales inducias. Quo tempore interfectus ab Hiſpanienſi ſicario Balthaſare Girardo Guilelmus Auriacus A. 1584. ſucceſſorem Mauritium filium habuit, admodum juvenem. Cæterum creſcentibus indies difficultatibus, maximè poſt Antwerpiam

à Parmenſi captam, Reip. patrocinium Elizabetha Angliæ Regina ſuſcepit, miſſo Roberto Dudleio Comite Leceſtriæ; cujus Regimine, proditionibus & confuſione infami, intra breve tempus finito, jam in ſolidum Mauritius, fulmen illud belli & tempeſtas Martia ſucceſſit ac Rempublicam admirabili rerum ſucceſſu ita auxit & illuſtravit, ut vix ejus victorias Belgarum faſti, merita poſteritas vix capiat. Is perpetuo victoriarum curſu, Bredam, Zutphaniam, Daventriam, Delftzylam, Hulſtam, Coverdiam, Gertrudisbergam, Groningam, Rhynbergam, Meurſam, Grollam, Brevordam, Enſchedam, Oetmarſam, Oldenzelam, Lingam, Graviam, Sluſam & innumera oppida arceſque hoſti eripuit. Sed imprimis triennale Oſtendæ obſidium, inauditis cladibus & conſtantia continuatum, ac ad Neuportam, ipſo ſeculari anno commiſſum prælium, toto orbe celebrantur. Nec minora mari geſta contra invincibilem, ut falſo jactabatur, Hiſpanorum claſſem, A. 1588. & jam tum in ipſa Hiſpania, & ad Herculis columnas gravibus ſuperata præliis Tyrannis triumphabatur.

18. *Secundus* ab. A. 1609. ad 1621. & exitum induciarum. Quo tempore pax cum Hiſpanis in Belgio, ſed foris bellum,

ac

ac domi civiles motus. Quippe cum Juliacis Provinciis imminerent Auſtriaci, Ordines ſuſcepto propter viciniam & communia fœdera earum patrocinio, magnas ad Rhenum res geſſerunt. Mox turbari Germania, & ex bello Bohemico Palatinum naſci, in quo nequaquam veteri amico & fœderato Reſpublica defuit, ſed miſſo cum inſigni Equitatu Frederico Henrico Auriaco labantes res ſiſtere conata fuit.

19. *Tertius* ab A. 1621. ad 1648. & pacem cum Hiſpano initam. Tum defuncto Mauritio, A. 1625. Fredericus Henricus frater ſucceſſit, ſub cujus Regimine Reſpublica ſummum quaſi gloriæ & potentiæ faſtigium conſcendit. Captæ urbes maximi nominis & molis, Grolla, Sylva Ducis, Veſalia, Moſæ Trajectus, Venloa, Ruremonda, Limburgum, Orſoa, Rhenoberca, Schenkianum munimentum, Breda, Gennepa, Gandavi Cataracta, Hulſta. Maximi quoque in India utraque Societatum progreſſus. Nam Braſiliæ caput, oppidum omnium Sanctorum, expugnatum inque ejus amiſſi locum Olinda Fernambuci quaſi permutatione quadam ſucceſſit. Intercepta ad Matanzam Cubæ à Petro Heynio claſſis immenſarum opum ferax, & alterâ incre-

dibilis potentiæ à Martino Trompio in Dunis Anglorum debellata.

20. *Quartus* ab A. 1648. & pace cum Hiſpanis inita, in quo pax circumcirca cum omnibus; nihil undique, niſi in Braſilia, hoſtile. Glorioſus hic omnino Status & Reipublicæ expetendus; quæ etiam infenſiſſimi hoſtis teſtimonio innocentiæ ſuæ, libertatis, & juſtiſſimæ cauſæ, teſtimonium retulit.

21. Medio tempore non defuere publicæ calamitates, ac non fluctuare modo, verum etiam periclitari & ſubmergi Reipublicæ navis viſa. Initio Alenſonius, quas contra externum hoſtem defendere debebat, eas opprimere ac in ſervitutem Hiſpanica deteriorem rapere conabatur Provincias. Succeſſit Anglorum maleſana dominatio, & Leceſtrius ingens Reip. detrimentum, ſive ſua negligentia & pravis conſiliis, ſive ſuorum perfidia attulit. His ſuperatis malis Religio à novatoribus quibuſdam turbata: quod malum atrox & peſtilens, niſi heroica Mauritii virtute & Synodo Dordraci convocata obviam itum fuiſſet. Ultimum A. 1629. periculum, noſtris ad Sylvam Ducis cum exercitu hærentibus, hoſte in Velavia graſſante. Tum temporis fatale libertatis noſtræ munimentum ac præſidium Veſalia jam incli-

inclinantem & labantem prope patriam, cœlitus expugnata, & ante capta quam obſeſſa, in tuto locavit.

22. Ab hac origine & initiis ad tantam amplitudinem, divina Providentia, Ordinum prudentia, Principum Auriacorum fortitudine, provecta Reſpublica Belgica. Quoniam vero,

Non minor eſt virtus, quam quærere, parta tueri.

Ideo omni modo enitendum eſt, ut quam diutiſſimè in eo ſplendore ac dignitatis & potentiæ gradu conſervetur, ad eumque finem media convenientia adhibenda ſunt.

23. Quorum antequam exhibeamus ſpecimen, rejicienda eſt Cardinalis Bentivoglii aſſertio, qui tam malè conſtitutam arbitratur Rempubl. hanc, ut diu conſiſtere in eodem gradu ac perennare nequeat. Nobis verò contrarium plane videtur, & tam bene contemperatum hoc corpus, ut diuturnum omnino, gratia Dei adſpirante, ſtatum polliceatur. Nam & libertati & æqualitati ſingularum Provinciarum ſummopere proſpectum eſt; & immenſæ privatorum opes, munimentorum natura & arte inexpugnabilium ſitus, fœdera cum vicinis, innatum contra Hiſpanos odium, exercitus validus, durationem

promittunt, niſi peccata noſtra Deum nobis hoſtem faciant.

24. Quoniam vero omnia humana corruptionibus obnoxia, ideo media diligenter adhibenda, quibus omni malo in tempore obviam eatur. Illa in univerſum ſunt vel Theologica vel Politica. Inter *Theologica* efficaciſſimum eſt, *ut crebro ira Supremi Numinis jejunio precibuſque ſolemniter indictis placetur, eique gratiæ pro beneficiis hactenus præſtitis agantur. Politica* ſpectant Religionem, Unionem, Militiam; Fœdera, Ærarium. Religio Reformata & publica authoritate in Synodo Dordracena ſtabilita, omni modo defendi, conſervari, propagari debet, his potiſſimum mediis, *ut qui Eccleſiæ, Reipublicæ, Militiæ inſerviunt, omnes eam publice profiteantur. Ut Miniſtri Euangelii digno honore afficiantur, ac ſufficienti ſalario fruantur. Ut ne Eccleſiæ ſuis privilegiis ſpolientur. Ut publicum exercitium Religionis Pontificiæ nullibi toleretur. Ut Ieſuitæ excludantur.* Unio, *Ut ſervetur æquilibrium inter Provincias, ne vel una Provincia vel urbs affectet primatum, dominium, prærogativam: ſine conſenſu reliquarum fœdus pactumve ineat cum exteris, bellum, pacem faciat, militiam dimittat. Ut diſcidia quævis ma-*

maturè ſopiantur & tollantur ſive ſuffragiis plurium ſive arbitrio mediatorum. Atque hinc procul abeſſe debet pervicacia, obſtinatio, fervor nimius, iræ, contentiones, calumniæ, odia.

25. Quoniam vero pecunia pacis belli que nervus eſt, & anima Reipublicæ, omni modo conandum eſt, ut commercia noſtra ubique terrarum floreant, tum terreſtria tum maritima. Terreſtria hactenus propter continua bella ceſſarunt, nunc pace inita inſtaurari poſſunt per Germaniam: Maritima in omnes Orbis partes quas mare alluit ingenti navium numero ſuſcipiuntur ac fere dividuntur in ſocietates Maris Mediterranei, Baltici, Ruſſici, Indiarum Occidentalis & Orientalis, Caribanicam. Ex his Indica Occidentalis incredibili cum damno harum Provinciarum & dedecore, tota pene collapſa, ante omnia ab Ordinibus quam primum inſtauranda eſt. Quia illa collapſa Provinciæ fœderatæ unum ex præcipuis munimentis ſuis amittent, quia turpiſſimum ac ſignum maximæ corruptionis in Republica, ita deſerere cives ſuos ac fideles ſubditos, præſertim viduas & orphanos, quorum omnes opes in ea ſocietate ſitæ ſunt. Quia Portugalli peſſima fraude noſtros decipiunt ac contemtim illudunt.

Quia res nondum eſt deſperata, ſed, Deo favente, adhuc curabilis. Quia idem alias metuendum Societati Indiæ Orientalis, neque ulla ratio cur in ſimili caſu, quod Deus avertat, hæc juvanda & non illa. Quia nihil hactenus obſtitit quam avaritia, privati commodi, turpis lucri & vindictæ cupido, imo etiam perfidia & corruptio quorundam quo minus juvaretur. Quia propagatio Euangelii, converſio miſerorum Indorum, impie impeditur ac barbari quorum fœdere ac amicitia utimur, perfidè exponuntur Tyrannidi Portugallorum, pravamque de nobis & ſtatu noſtro opinionem concipiunt noſque palam execrantur. Cum igitur hac in ſocietate conſervanda concurrant honeſtum, utile, facile, argumenta ad perſuadendum maximi ponderis, mirum profecto eſt tot injici remoras & tam lente tanti momenti negotium tractari, cum tamen ingens in mora periculum ſit, & occaſio ſemel elapſa non niſi difficillimè recuperari poſſit. Nam quod quidam obtendunt, ſatius fore ſi libera navigatio permittatur omnibus in ea loca quæ Societatis ſunt, id iniquum atque injuſtum, præterea etiam damnoſum eſt, ſingulis proprio commodo cum alterius detrimento ſtudentibus ac piratas in ſe concitantibus. Nam dum ſin-

ſinguli pugnant omnes vincuntur. Ergo utraque ſocietas omni modo conſervanda, augenda, promovenda eſt, tum propter immenſas opes quæ inde in Remp. derivantur: tum quod ſeminaria peritiſſimorum in navali bello militum ac nautarum & promptuaria quædam navium omni armorum genere inſtructiſſimarum ſunt: ita ut ſecundum Deum nulla ratione potius infractæ fuerint Hiſpanorum vires, quam his navigationibus. Unde eas omni modo turbare, impedire & ſubvertere conati ſunt, ac vel propterea duodecennales inducias pepigerunt, ut ſocietas Indiæ Occidentalis omitteretur. Turpiſſima ſane & indelebilis macula Potentiſſimæ hujus Reipublicæ foret, quibus pacem hoſti extorſit, & quæ durante maximo bello contra omnem Hiſpanorum apertam vim tam glorioſè defendit, ea pace & tot opibus partis per clandeſtinam conſpirationem & apertam rebellionem Portugallorum amittere, nec vel de injuria ſerio conqueri, nedum amiſſa recuperare.

26. Quoniam vero nulla quies gentium ſine armis, nec arma ſine ſtipendiis, nec ſtipendia ſine tributis haberi queunt: ideo ærarium ex ſingularum Provinciarum contributionibus implendum eſt. In

qui-

quibus obſervanda proportio non Arithmetica ſed Geometrica, pro ratione opum & Provinciarum, adeo ut qui multa habet, multa det, neque tamen ſi rationem finis & mediorum inſtituas, plura quam alii. Quid iniquius quam aliis Provinciis exprobrare ſuam egeſtatem? aut Dominium affectare in eas, non quod meliores aut potiores, ſed quod ditiores ſimus? At vero cum finis hujus Reip. ſit mutua defenſio, qui plura contribuunt, plura quoque quæ à fœderatis defendenda ſunt, habent, plura etiam amitterent niſi defenderentur. Semper etiam præ oculis aureum illud monitum habeatur: *Concordia res parvæ creſcunt, diſcordia maximæ dilabuntur.* Autoritas quoque Magiſtratuum, Ordinum, Principis, accurate protegenda, inhibendo: *Ne libelli famoſi, injurii in perſonas ac actiones eorum ſpargantur. Ne ſecreta ſtatus eliminentur ac typis evulgentur.*

27. Quæ tamen omnia ad conſervationem hujus ſtatus parum conducent, niſi ipſa pax ſit armata; Nunquam enim nimis fidendum eſt Hiſpano & quo magis blanditur eo occultius nocere ſtudet. Quam igitur armis extorſimus pacem, armis perpetuo tuenda eſt. Ergo pacis ac induciarum tempore, ſemper inſtructi

ſint

ſint Ordines ſufficienti militum numero, aliarumque bellicarum rerum apparatu, ut neceſſitate ingruente promtus ad arma intra biduum exercitus ſit. Præcipue vero loca limitanea firmiſſimis præſidiis & acri vigilia cuſtodiantur, quæ unicum Reip. hujus contra externos hoſtes munimentum & robur ſunt. Nihil etiam de militaribus exercitiis remittendum, ne miles longo otio langueſcat & enervetur. Revocanda in uſum veterum Romanorum diligentia, qui per campidoctores nunquam patiebantur eſſe otioſum, ſed laborare, decurrere, portare pondus, & ſolem, pulveremque ferre aſſuefaciebant militem.

28. Jam vicini & exteri vel amici vel Fœderati ſint, præcipue Gallus, Danus, Suedus, Polonus, Ruſſus, Germanus. Galliæ Regis amicitia omnibus, præſertim Hiſpano, præferenda, ita tamen ut more Oſtgottorum, *Francum amicum, non vicinum habeamus.* Inquies illa gens pacem facile bello, amicitiam odio permutat, & formidabilior ejus potentia, quam ut liberæ Reip. expediat. Quare danda opera ut inter nos & illum, quaſi obex & Iſthmus inter duo maria, Flandria cum aliis Provinciis conſervetur. Quo etiam multum conducunt perpetuæ Gallo-

Gallorum & Hiſpanorum æmulationes, qui velut gemelli ſimul moventur & quieſcunt. Inter quos quam diu flagrat bellum, Reſp. non habet quod ab illis metuat. Quod Cæſarem ſpectat is hoſtilem erga nos animum publica profeſſione depoſuit, & ita fractus diuturno bello eſt, ut parum ab eo metuendum ſit. Nihilominus cum in civitates quaſdam jus prætendat, danda eſt opera ut Principes Germanos Proteſtantes amicos habeamus; imprimis Electorem Palatinum, Brandeburgicum, Haſſum, Anſeaticas civitates, & illis quoque, ſi bello impetantur, auxilia ferenda ſunt. De Anglia propter inteſtinam confuſionem nihil adhuc ſtatui poteſt. Dani, Suedorum, Polonorum, Ruſſorum amicitia opus habemus propter navigationes Balticas & frumenti advectionem. Quod ſi tamen fretum Sundanum aliquo caſu occluderetur, vel Polonia frumentum negaret., tum ſeptentrionalis per mare Album navigatio in Ruſſiam inſtituenda eſſet & cum Magno Duce certis conditionibus paciſcendum.

29. Ut igitur finem faciamus, multum ad conſervationem hujus Reipublicæ faciet præteriti ſtatus conſideratio, ex quo, in quem, quibus mediis pervenerimus.

mus. Nunquam animo noſtro & cogitatione excidat trux & ſanguinolentus Albanus, cum ſuo Varga & Spell, aliiſque furioſæ Tyrannidis miniſtris; capita Egmontii & Hornani, Laniena Harlemenſis, Naerdenſis, Veteraquinas, Zutphanienſis, & manes octodecim illorum millium, quos manu carnificis necarunt Hiſpani, jugiter ob oculos verſentur. Multum proderit illam majorum noſtrorum ſub Hiſpanica Tyrannide gementium inenarrabilem miſeriam infantibus à primis annis, cum lacte quaſi materno & primis elementis implantare, in Scholis, Academiis, Eccleſiis enarrare, ne unquam memoria crudeliſſimæ & atrociſſimæ gentis inter nos & in rudi plebe excidat. Ut comparatione inſtituta inter præteritas miſerias ſine exemplo, ſciamus quo cum hoſte majores noſtri, non pro gloria & imperio, ſed pro vita, pro ſalute, & libertate decertarint, ac conferentes priorem immanitatem cum hodiernis blanditiis, rectè judicemus de natura Hiſpanorum. Ex his quæ dicta ſunt patet Principes legibus eſſe obnoxios ac pactis, & Ariſtocratiam in Belgio preferendam eſſe Monarchiæ.

DISSERTATIO XVII.

De Tyrannide I. *contra ſeditioſam & horribilem Ieſuitarum doctrinam, quæ* REGES *&* PRINCIPES, *titulo* TYRANNORUM *occidendos ſicariis objiciunt.*

1. REGNO Tyrannis opponitur, quæ eſt *Monarchia in pares & meliores, ad quæſtum privatum & non publicum.* Nam quod vulgo Tyrannidis eſſentiam ex notis quibuſdam explicant, minus accuratè fit, cum illæ notæ Tyrannidem nec conjunctim nec disjunctim conſtituant, eaque poſteriores ſint, nec omni Tyranno conveniant. Hinc Ariſtotelis definitio cæteris præferenda, quod ſit μοναρχία ἀνυπεύθυνος in pares & meliores πρὸς τὸ σφέτερον αὐτῆς συμφέρον, ἀλλὰ μὴ πρὸς τὸ τῶν ἀρχομένων. In privatum enim illud commodum, tanquam ſentinam, omnia Tyrannorum vitia confluunt.

2. Eſt autem magna opus circumſpectione, in ſtatuendo quis ſit & jure dicatur Tyrannus. Quod ut ordine fiat, primo illa *amovenda*, quæ Tyrannum non faciunt: deinde *ponenda* quæ Tyranni propriæ & perpetuæ notæ ſunt.

3. *Amo-*

3. *Amovenda* hæc ſunt; *negligentia, ſocordia, ſtupor, imbecillitas mentis, defectus judicii, facilitas*, & hujus generis alia quæ in omiſſione, non commiſſione, niſi per accidens, conſiſtunt. Non enim Rex & Tyrannus opponuntur ut habitus & privatio, ſed ut virtuti vitium, ſanitati morbus. Supina tamen negligentia & deliberata, proximus ad Tyrannidem gradus eſt, qualis in Tiberio, Nerone, Gallieno, Wenceſlao Imp. & aliis fuit: tantum tamen à Tyrannide, quantum ab habitu privatio abeſt. Atque ſecundum hanc regulam, Claudius Imp. mortalium ſtupidiſſimus ac inſigniter fatuus, Tyrannis accenſeri non poteſt. Deinde, *ſecernenda ſunt vitia privata à publicis*. Ita ob libidinem, intemperantiam, paganiſmum, hæreſin, prodigalitatem, nemo Tyrannus dicendus eſt. Denique, *aliud eſt Princeps Tyrannicus, aliud Tyrannus*. Ita Richardus II. Angliæ, Henricus III. Galliæ, Reges, Tyrannici fuerunt Principes in quibuſdam actibus, non tamen Tyranni.

4. *Ponenda* hæc ſunt: *Tyrannus omnia refert ad utilitatem privatam.* Nulla exactior Tyrannidis nota quam hæc. Inde omnia flagitia dominationis, inde horrenda Tyrannorum facinora fluunt. Nam

de

de actionibus Reipubl. ſemper judicandum ex fine. Qui ſi privatus, tum Tyrannidem conſtituit. Utcunque Nero aliquis in Iſthmo perfodiendo optet, *ut ſibi ac populo Romano bene res vertat*, & Julius Cæſar omnia agat per populum largitionibus deceptum: quia finis ipſorum eſt, opprimere ſenatum Rempublicamque, Tyranni ſunt. Ergo ex hac regula Tyranni fuerunt Julius Cæſar, Tiberius, Nero, & alii quamplurimi: & inter recentiores Philippus II. reſpectu Regni Aragoniæ, & Belgii, & alii nonnulli, quos tamen nominare tutum non eſt. Ex dictis liquet Saulem haudquaquam Tyrannis annumerandum.

5. Sed nobis jam contra Jeſuitas agendum eſt, qui Politicam de Tyrannis doctrinam quam noxioſſime corrumpunt. Eorum abominanda ſententia unico hoc quam breviſſime aphoriſmo conſtringi poteſt: *Licitum ac meritorium vitæ æternæ eſſe*, eos Reges ac Principes qui vel Euangelici ſunt, vel Papiſtæ moderatiores, non aſſentientes eorum crudelibus conſiliis, privato cuivis, ferro, igne, veneno, pulvere ſulfureo, aliiſque modis necare & trucidare.

6. Hoc aphoriſmo cum totum myſterium iniquitatis Jeſuiticæ contineatur, ne-

neceſſe eſt ut initio termini propoſitionis ex mente Jeſuitarum rectè declarentur: inde etiam ex ipſorum ſcriptis & exemplis probetur, hanc & non aliam eorum doctrinam eſſe. Utrumque neceſſarium eſt. *Primùm:* quia multis involucris hanc doctrinam ſuam involvunt, tegunt, limitant, ut ne eâ animadverſâ, ſibi ipſis exitium attrahant. *Refutat.* Anticotoni dicunt, quod Mariana multis circumſtantiis doctrinam ſuam limitarit. *Gretſerus, Eudæmon*, & alii eam multis modis limitant, explicant & extenuant. *Secundum:* quia hanc doctrinam ſuam eſſe, hodie præfractè negant.

7. Utrumque hoc inde fit: Quia in hac cauſa ambiguitatibus velut teſſeris ludunt, & ſub quarundam diſtinctionum velo, non ſimplices ſolum homines, ſed & ſagaciores, fallere conantur; Linguis dicta dulcia dantes, corde amara facientes.

8. Unde quod olim tam audacter affirmarunt, nunc tam infrunitè negant, inventis ejuſmodi terminis & ambiguitatibus, ſub quorum ſchemate, quidvis affirmare vel negare, mentali reſervatione poſt principia ſtante, audent & ſuſtinent. Quarum ambiguitatum Cl. *Aquaviva* in ſua ſanctione ſacerrima, apud Eu-

Eudæmonem clarum ſpecimen edidit. Initio quos nos vocamus *Euangelicos* Reges & Principes, item *Papiſtas* moderatiores, eos ipſi ſub communi *Tyrannorum* nomine comprehendunt; quod etiam propoſitionis declarandæ ſubjectum eſt.

9. Circa quod ſubjectum duo notanda ſunt. 1. Quod Jeſuitæ magno ſtudio involvant & occultent quid per Tyrannum intelligant, nec niſi ambigue de eo loquantur. Idque ob hanc cauſam, ne plerique Reges ac Principes putent ſe ſub illo titulo comprehendi. *Quaſi verò*, inquit Eudæmon de Henrico IV. cap. 1. Ant: f. 9. *aut Rex tam moderatus & clemens Tyrannus eſſet, aut nihil inter Regem & Tyrannum intereſſet?* Hoc eſt illud quod Poëta inquit: *Noctem peccatis & fraudibus objice nubem.*

10. Tradunt autem duplices Tyrannos eſſe: Alios *Gubernatione:* qui licet verè ſint Reipubl. Domini, eam tamen inique & Tyrannicè opprimunt. Hos vocant *Tyrannos cum titulo.* Alios *poſſeſſione:* qui cum non ſint Reipubl. Domini, eam tamen inique uſurpant & opprimunt. Hos vocant *Tyrannos ſine titulo.*

11. De Tyranno primi modi ſtudio diſſentiunt. Quidam enim dicunt nefas eſſe privatis eum interficere. Et de hoc ex-

explicant decretum illud Concilii Conſtantienſis ſeſſ. XV. ubi eſt hæc aſſertio: *Quilibet Tyrannus poteſt & debet licitè & meritoriè occidi per quemcunque Vaſallum ſuum & ſubditum, etiam per inſidias, blanditias & adulationes, non obſtante quocunque juramento ſeu confœderatione cum eo, non expectata ſententia vel mandato judicii cujuſcunque, erronëa eſt in fide & moribus, ipſamque ſynodus tanquam ſcandaloſam & ad fraudes, deceptiones, mendacia, proditiones, perjuria, vias dantem, reprobat & condemnat.*

12. Quidam contra certis limitationibus dicunt & affirmant, *Licitum eſſe privato Tyrannum primi generis occidere.* Gregorius de Valentia: *non poteſt interimi ſine publica ſententia.* Emmanuel Sa: *ſine publico judicio.* Toletus: *abſque publica auctoritate.* Tannerus: *quamdiu ſua legitimâ poteſtate non exuitur.* Seb. Heiſſius: *niſi quis neceſſitate ſe defendendi cogatur manus inferre Principi.* Leſſius: *quamdiu manet Princeps.* Quorum loca citat Eudæmon in confut. Anticot. c. 1. De Tyranno ſecundi modi itidem diſſentiunt. Quidam, interque eos Salmeron dicunt: *privato non licere eum interficere.* Communiter tamen ſtatuunt, quod à pri-

Eudæmonem clarum ſpecimen edidit. Initio quos nos vocamus *Euangelicos* Reges & Principes, item *Papiſtas* moderatiores, eos ipſi ſub communi *Tyrannorum* nomine comprehendunt; quod etiam propoſitionis declarandæ ſubjectum eſt.

9. Circa quod ſubjectum duo notanda ſunt. 1. Quod Jeſuitæ magno ſtudio involvant & occultent quid per Tyrannum intelligant, nec niſi ambigue de eo loquantur. Idque ob hanc cauſam, ne plerique Reges ac Principes putent ſe ſub illo titulo comprehendi. *Quaſi verò*, inquit Eudæmon de Henrico IV. cap. 1. Ant: f. 9. *aut Rex tam moderatus & clemens Tyrannus eſſet, aut nihil inter Regem & Tyrannum intereſſet?* Hoc eſt illud quod Poëta inquit: *Noctem peccatis & fraudibus objice nubem.*

10. Tradunt autem duplices Tyrannos eſſe: Alios *Gubernatione:* qui licet verè ſint Reipubl. Domini, eam tamen inique & Tyrannicè opprimunt. Hos vocant *Tyrannos cum titulo.* Alios *poſſeſſione:* qui cum non ſint Reipubl. Domini, eam tamen inique uſurpant & opprimunt. Hos vocant *Tyrannos ſine titulo.*

11. De Tyranno primi modi ſtudio diſſentiunt. Quidam enim dicunt nefas eſſe privatis eum interficere. Et de hoc ex-

explicant decretum illud Concilii Conſtantienſis ſeſſ. XV. ubi eſt hæc aſſertio: *Quilibet Tyrannus poteſt & debet licitè & meritoriè occidi per quemcunque Vaſallum ſuum & ſubditum, etiam per inſidias, blanditias & adulationes, non obſtante quocunque juramento ſeu confœderatione cum eo, non expectata ſententia vel mandato judicii cujuſcunque, erronea eſt in fide & moribus, ipſamque ſynodus tanquam ſcandaloſam & ad fraudes, deceptiones, mendacia, proditiones, perjuria, vias dantem, reprobat & condemnat.*

12. Quidam contra certis limitationibus dicunt & affirmant, *Licitum eſſe privato Tyrannum primi generis occidere.* Gregorius de Valentia: *non poteſt interimi ſine publica ſententia.* Emmanuel Sa: *ſine publico judicio.* Toletus: *abſque publica auctoritate.* Tannerus: *quamdiu ſua legitimâ poteſtate non exuitur.* Seb. Heiſſius: *niſi quis neceſſitate ſe defendendi cogatur manus inferre Principi.* Leſſius: *quamdiu manet Princeps.* Quorum loca citat Eudæmon in confut. Anticot. c. I. De Tyranno ſecundi modi itidem diſſentiunt. Quidam, interque eos Salmeron dicunt: *privato non licere eum interficere.* Communiter tamen ſtatuunt, quod à pri-

 vato

vato poſſit occidi: cujus ſententiæ Patronos vide apud eundem Cretenſem, d. l.

13. Cæterum utraque diſtinctio ambigua & fraudulenta eſt: inde fit, ut Jeſuitis perinde ſit hoc vel illud affirmare, cum termini ſic vel ſic intelligi poſſint. *Prima:* quia non declarant quid ipſis ſit: *Reipublicæ Dominum eſſe: & inique ac injuſtè Rempublicam opprimere. Secunda:* quia non declarant quid ipſis ſit: *non eſſe Reipublicæ Dominum;* & tamen *iniquè ac injuſtè rempublicam opprimere.* Præterea Jeſuitis facillimum eſt, ex Tyrannis ſecundi modi facere Tyrannum primi modi, cùm illud per ſolam excommunicationem, vel communem & annuam, vel ſingularem & repetitam fiat: qua Princeps deponitur, ita ut deſinat eſſe Princeps & ſuperior: & ſubditi juramento fidelitatis ſolvuntur, ita ut deſinant eſſe ſubditi ſive inferiores, de quo Jeſuita Suarez, lib. 6. adverſus ſectam Angl. cap. 6. late agit.

14. II. *Quod per Tyrannum ſive primi ſive ſecundi generis, non alios quam Euangelicos Reges & Principes, & Papiſtas moderatiores intelligant.* Idque exindè patet; quia Jeſuitis Tyranni ſunt, qui non ſunt Reipublicæ Domini, & tamen eam opprimunt ac invadunt. Jam autem

tem is Jeſuitis Reipublicæ Dominus non eſt, quem Papa pro tali non agnoſcit: & is Rempublicam opprimit Jeſuitis, qui vel rejecit & eliminavit Papatum, vel non ſatis fervidè, id eſt, igne ac ferro, Euangelium exſcindit, ſed Religionis & conſcientiarum libertatem ſubditis concedit.

15. Unde in promptu eſt, qualeſnam Reges ac Principes Jeſuitæ pro Tyrannis habeant, nim. 1. *Qui Romanam Religionem abjecerunt.* 2. *Qui Romanam Religionem non ſatis fervide propagant & propugnant.* 3. *Qui à Papa excommunicati ſunt.* 4. *Qui à viris gravibus & eruditis, id eſt*, Ieſuitis, *propter peculiares cauſas, pro talibus habentur.* Prima conditio omnes Euangelicos Reges & Principes; ſecunda omnes moderatiores Papiſtas, comprehendit. Duæ reliquæ utriſque tam Euangelicis, quam Papiſtis communes ſunt. Ubi & illud notandum: *Eos ad conſtitutionem Tyranni non requirere novam & ſolemnem excommunicationem:. cum Papa ſingulis annis tales in cœna Domini excommunicet:* Qui hæreticos tolerant & fovent: Qui ſe hæreticis conjungunt, vel iis contra Catholicos auxilia præſtant. Atque hæc de SUBJECTO, proximè de PRAEDICATO quæſtionis agemus.

DISSERTATIO XVIII.

De Tyrannide Secunda: Quæ eſt contra ſeditioſam & horribilem Ieſuitarum doctrinam, qua REGES *&* PRINCIPES, *titulo* TYRANNORVM *occidendos ſicariis objiciunt.*

I. SUperiore Diſputatione de Subjecto Quæſtionis, nimirum Tyrannis, actum. Prædicatum ſequitur, quod eſt: *occidere licet cuivis privato*, ubi habes Rem & Perſonam.

RES eſt: *occidere licet.* Modus à Mariana præſcribitur: *ne tantum nefas non ritè fiat.*

I. Quod licitum ſit ferro & veneno eos occidere.

Quid intereſt inquit *ferro aut veneno perimas, cum conceſſa ſit ferro & fraude agendi facultas?*

II. Quod veneno potius quam ferro occidi debeant: idque ob has cauſas:

I. Quia minori periculo fit.

II. Quia non minus veneno quam ferro perimi poſſunt.

III. Quia major inde lætitia, peremto hoſte, conſervato parricida:

Veneno, inquit *ſi perimas, ſit id minore peri-*

culo, majore ſpe impunitatis: & eo nil de publica lætitia minuitur, hoſte permto, conſervatoque authore & archiecto publicæ libertatis.

III. Quod venenum exterius ab alio adhibendum ſit, nihil adjuvante eo qui perimitur: idque ideò, Quia Tyrannus talis noxii perſonam ſuſtinet, qui non ſeipſum perimere debet, ſed ab alio perimi. Itaque ſi hæc conditio non obſervetur, Regicidium illicitum fore dicunt.

Mariana lib. 1. cap. 7. *In ejus vitam quacunque arte graſſari conceſſum eſt, ne cogatur tantum ſciens aut imprudens ſibi conſciſcere mortem, id quod eſſe nefas judicamus.* Et: *hoc tamen temperamento licebit, ſi non is qui perimitur, venenum haurire cogatur, quo concepto pereat, ſed exterius ab alio adhibeatur, nihil adjuvante eo qui perimendus eſt, cum tanta vis eſt veneni, ut ſella eo aut veſtis delibuta vim interficiendi habeat.* Idem: *Ne Tyrannum quidem primi vel ſecundi generis, etiam poſt judiciariam contra illum latam ſententiam invenio licitè tolli, ſi Tyrannus ipſemet venenum illud ſumere & ſibi applicare debeat.*

Qua fucata limitatione nihil aliud quærunt, quam ut Principes de veneno ſecuros, eo certius perimant.

2. PERSONA eſt; *quivis privatus* : de his enim ſolis agemus. Alias privatas & publicas perſonas in ſceleris ſocietatem admittunt. Mariana lib. 1. c. 6. *Quicunque Princeps communis ſe boni, h. e. Religionis & Patriæ hoſtem præbuerit, taliſque à Republica judicatus fuerit, authoritate & publica & privata è medio tolli poteſt.* Idem: *Si nulla ſanitatis ſpes, bellum neceſſario concitabitur, & Princeps publicus hoſtis declaratus, ferro perimetur. Eademque facultas eſto cuicunque privato, qui in conatum juvandi Rempubl. ingredi voluerit.*

In qua voce, *Privatus*, itidem ambiguitatibus ludunt. Interdum enim *Privatus* Ieſuitis dicitur, qui nec publico muneri præeſt, neque jus exequendi ſententiam judicis adverſus Principem accepit. Hoc ſenſu negant cuicunque privato licere Tyrannum occidere. Interdum autem *Privatus* illis dicitur, qui quantumvis in nullo publico munere conſtitutus ſit, tamen exequendi ſententiam judicis adverſus Tyrannum poteſtatem accepit. Et hoc ſenſu affirmant licere cuicunque privato Tyrannum occidere.

3. Duplex igitur limitatio circa perſonam, cui licitum eſſe affimant Tyrannum occidere, occurrit:

I. Ut

I. Ut à Republ. ſive populo, expreſſe vel tacite motus ſit ad cædem Principis, Suarez lib. 6. contra. ſect. Anglic. c. 6, ſect. 6. *Ergo quivis civis, membrum Rei-publ. & ab ea vel* EXPRESSE, *vel* TACITE MOTUS, *poteſt Rempubl. defendere in eo conflictu, eo modo quo poterit. Vbi quid* ſit: *tacite motus*, ex Mariana explicari poteſt, qui cum Quæſtionem, viro gravi & erudito dignam moviſſet, quid faciendum ſi publici conventus facultas ſublata ſit? Reſpondet; *Sat judicii fore ſi voluntas non deſit delendæ Tyrannidis*, id eſt *ſi Reſpubl. tacite conſentiat illudque optet*, ut Cretenſis explicat, Conf. Antic. *diſertè docet Mariana, rem tantam non in privati cujuſquam arbitrio, ſed in publica populi voce votiſque poni oportere.*

II. Ut de hoc ſuo propoſito viros eruditos & graves, id eſt, Ieſuitas conſulat.

Mariana: *Niſi publica vox populi adſit, viri eruditi & graves in conſilium adhibeantur: quos veriſimile eſt, minimè perturbato animo, de tota re judicaturos.*

III. Quod ſi commoda cædis occaſio, & incommoda Theologos conſulendi detur, cædem etiam iis inconſultis maturandam eſſe.

Mariana: *neque putamus fore aliquem,*

qui certus perimendi, oblatam ejus cædis occaſionem negligens, Theologorum id arbitrio permittat.

4. Per τὸ LICET intelligunt, illam cædem non in ſe tantum glorioſam, honeſtam, pulcram eſſe; ſed etiam quemvis catholicum ad illam patrandam obligari. Mariana: *Occidere Tyrannum, glorioſum, honeſtum, pulcrum, beneficium gratum eſt.* Et alibi cum facinus Iacobi Clementis narraſſet & laudaſſet: *Præclarè* inquit, *cum rebus humanis ageretur, ſi multi homines tam forti pectore invenirentur, pro libertate patriæ, vita contemtores & ſalutis, ſed pleroſque incolumitatis cupiditas retinet, magnis ſæpè conatibus adverſa.* Et rurſum: *Idque in Tyrannum quovis modo præſtare non tantum* LICET, *verum etiam* IMPERATUR.

5. His ita præmiſſis, reliquum eſt ut probemus hanc & non aliam Ieſuitarum de Regicidio doctrinam eſſe.

Rationes autem hæ ſunt:

I. Quia authores, ſuaſores, promotores, laudatores, Regicidiorum fuerunt.

Authores & ſuaſores dupliciter:

I. Scriptis ac voce. II. Conſiliis & auxiliis. Idque probatur:

I. In GENERE: Ex literis Decretalibus Cl. Aquavivæ Generalis, apud Eudæ-

dæmonem, ubi ita inquit, *Præcipimus ne-quis* Deinceps *Societatis noſtræ Religioſus publicè aut privatim, prælegendo ſeu conſulendo, multo etiam minus libros conſcribendo, affirmare præſumat, licitum eſſe, cuicunque perſonæ, quocunque prætextu Tyrannidis, Reges aut Principes occidere, ſeu mortem iis machinari.*

Ubi hæc notanda ſunt:

I. Generalem non diffiteri Ieſuitas ſolitos fuiſſe, publicè ac privatim prælegendo ac conſulendo, nec non libros ſcribendo affirmare, licitum eſſe cuicunque perſonæ, quocunque prætextu Tyrannidis, Reges & Principes occidere. Quia præcipit, *ne quis deinceps id faciat*. Fruſtra autem præcipitur, ne quis deinceps quid faciat, quod ante nunquam fecit.

II. Eum non damnare Ieſuitas illos qui prioribus annis, voce, ſcripto ac exemplo Regicidium propugnarunt: ſed ſilentio ſuo non magnopere improbare.

III. Eum tam ambiguè hanc doctrinam de Regicidio prohibere; ut ſatis appareat aliud in ore Ieſuitas, aliud in corde habere. Nam cum edictum illud propter Marianæ librum promulgatum ſit, teſte Cretenſe, nihil tamen minus in eo quam Marianæ doctrina prohibetur ac damnatur; qui nunquam

docuit; *cuicunque perſonæ, quocunque prætextu Tyrannidis, licitum eſſe Reges occidere:* ſed variis limitationibus ſententiam ſuam limitavit; ut ipſi Ieſuitæ, Eudæmon, Gretſerus & alii ad ravim uſque vociferantur.

6. Eſt autem triplex palpabilis æquivocatio in verbis Aquavivæ; qui imitatur nequam beſtiam & damnificam involvulum, quæ in pampini folio intorto implicat ſe.

I. In verbis; *Cuicunque Perſonæ.* Quod non cuicunque, id quibuſdam licere vult.

II. In verbis, *Reges & Principes:* Quod non vult fieri Regibus & Principibus, id de illis intelligit, quos Papa aut Ieſuitæ pro Regibus & Principibus habent; non de illis quos pro talibus non habent, quales ſunt hæretici & excommunicati.

III. In verbis *quocunque prætextu:* Quod non vult quocunque prætextu, id aliquo fieri non prohibet.

II. In SPECIE: *Suarez* lib. VI. adverſ. ſectam Anglic. cap. 4. ſect. 14. docet Regem excommunicatum à Papa; vel Regno privatum à Republica & populo, ex tunc poſſe tanquam Tyrannum tractari & conſequenter à quocunque privato in-

interfici. Et cap. 6. ejuſdem libri plura in hanc ſententiam affert. Inter alia inquit: *Paulum his verbis :* Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit ; Rom. 13. *nunquam addidiſſe ut etiam poteſtatibus excommunicatis vel deprivatis à Papa omnes ſubditi ſint.*

De *Mariana* res etiam apud Ieſuitas in confeſſo eſt ; cujus loca quædam ſupra produximus. Plura vide lib. 1. c. 6. 7. ubi hanc materiam ex profeſſo tractat.

7. Integri libri Jeſuitarum, in quibus Regicidium defendunt, laudant & approbant, hi ſunt ex multis pauci :

I. *Iohannis Guinardi* Rectoris collegii Pariſienſis liber, *Scelere ante alios immanior omnes*, propria manu ſcriptus ; in quo parricidium Jacobi Clementis ad cœlum laudibus effert & defendit acerrime ; omnes etiam fervidos Papiſtas ad cædem Henr. IV. hortatur. Ejus libri emblemata ſive inſertæ ſunt :

I. Neronem crudelem à Clemente occiſum.

II. Clementi facinus illud à Sp. S. inſinuatum.

III. Cum Bearnenſe benè actum iri, ſi capite raſo in Monaſterium trudatur.

IV. Si ſine bello deponi non poſſit, bellum cum eo gerendum.

V. Si bellum fieri non poſſit, de medio quavis tatione tollendum.

Thuanus Hiſt. lib. cxi.

II. Liber de *juſta Henr.* III. *abdicatione*, editus à Ieſuitis Lugduni Praecepto ſuperiorum.

III. *Apologia* pro Ioh. Caſtello, Gallicè & Belgicè à Ieſuitis edita.

9. II. VOCE: Quo pertinent ſeditioſæ Ieſuitarum conciones, & exhortationes ad Regicidia in concionibus & confeſſionibus. Talis vox fuit Ieſuitæ Comoleti Anno 1593. contra Henr. IV. qui *Aodo opus* eſſe dicebat, ſive is miles, ſive paſtor, ſive quicunque alius eſſet. Tales voces Claudii Matthæi, Bernardi, Baradæ & aliorum fuerunt, quas Ludovicus Doleus in Oratione ſua pro Curionibus Pariſienſ. apud Thuanum lib. cx. refert.

10. III. CONSILIIS: Quia omnes regicidas ad ſe vocant, ut auditis virorum eruditorum ac gravium conſiliis, tantam rem maturo apparatu riteque aggrediantur. Mariana: *Viri eruditi & graves in conſilium adhibeantur.* & cap. 6. dicit Iacobum Clementem cognoviſſe à Theologis, quos erat ſciſcitatus, Tyrannum jure interimi poſſe. Et exempla argumento ſecundo adducenda ſatis hoc comprobabunt.

11. IV. AVXI-

11. IV. AVXILIIS: Quia non tantum Regicidas à peccatis abſolvunt, preces pro felici ſucceſſu concipiunt & aliis eos commendant: Verum etiam parricidialia arma, ſclopeta, ſicas, venena, ſuppeditant. Ita Walpottus Ieſuita Edoardo Squiero venenum, quo Elizabetham & Eſſexium tolleret, de manu in manum tradidit, gravibus præceptis additis, ne illud nudâ manu unquam attingeret: ſed (ex Marianæ ſententia) Reginæ & Eſſexii ſolium vel ephippium eo inficeret.

12. V. LAVDATIONIBVS: Quia non tantum Regicidia, ſed & Regicidas ad cœlum laudibus tollunt, & immortali gloria dignos pronunciant.

I. *Regicidia.* Mariana cap. 6. cædem Henr. III. vocat *monumentum nobile, inſigne ad memoriam. Occidere Tyrannum glorioſum, honeſtum, pulcrum, magno præmio dignum, pro quo nunquam ſatis pretii præſtari poſſit. Ab omni ævo conſideramus in magna laude fuiſſe, quicunque Tyrannos opprimere aggreſſi ſunt.* Ioh. Guinard in nefario illo libro M. SS. facinus Clementinum, ut à Spirit. Sanct. inſinuatum, inſigniter commendat. Cui Sixtus V. Orat. habita Anno 1598. 2. Septemb concinit, qui divinis operibus eam cædem comparat. Quam Oratio-

 nem

nem Ieſuitæ non poſſunt improbare, niſi aut perjuri eſſe velint, aut Pontificem Rom. hæreſeos blaſphemæ inſimulare.

II. Regicidas; 1. Quia Mariana l. 1. c. 6. *Præclare*, inquit, *cum rebus humanis ageretur, ſi multi homines tam forti pectore invenirentur pro libertate patriæ, vitæ contemtores ac ſalutis.* Et cap. 7. *Si hujusmodi* (Regicidæ) *poſt deſignatum facinus evaſerint, inſtar heroum in omni vita ſuſpiciuntur. Si ſecus accidat, grata ſuperis, grata hominibus hoſtia cadunt, nobili memoria ad omnem poſteritatis memoriam illuſtrati.*

13. II. Quia Regicidas in Martyrum Catalogos referunt; ut Henricum *Garnet*, *Oldecorn*, Ioh. *Guinardum* & alios: quos etiam Catalogos publicè in ſuis ſcholis, nominatim ea, quæ Flexis in Andibus eſt, propoſuerunt. Et de *Garneto* quidem ac *Oldecorno* res certa eſt; propterea quod non tantum contra hæreticum Regem & Regnum conſpirarunt; ſed & in eo opere occubuerunt, grata ſuperis, grata hominibus hoſtia cadentes, ut Mariana loquitur: atque adeo eorum Martyrium non ſola iniquitate ſupplicii, ſed etiam pietate cauſæ ac defenſione juſtitiæ contineatur, quæ conditiones Eudæmoni ad conſtituendum

Mar-

Martyrium neceſſariæ videntur cap. 2. conf. Ant. *Ioh. Guinardum* palam Martyribus adſcribere non audent: quia ille non contra hæreticum, ſed contra Catholicum Regem conſpiravit; non Religionis ſed ſeditionis cauſa: præterea non ab hæreticis ſed à Curia Papiſtica damnatus fuit, denique ejus crimen toti Galliæ notiſſimum fuit, quod ſceleratæ manus teſtimonio, quæ in curia adſervatur, demonſtrari poteſt. Quantum verò laudis ac innocentiæ ei adſcribant, Carolus Scribanius Ieſuita, c.8. Amphitheatri Honoris his verbis prodit: *Tacebo ego te clarum cœlo terraque ſidus, & ultimum nil amplius dolitura domus innocuum piamentum? Nullus tui ſanguinis veſtigia dies exteret, totaque in hac vota mea ibit Gallia.*

DISSERTATIO XIX.

Contra id quod hactenus probavimus, excipiunt JESVITÆ *& nominatim* EVDÆMON;

I. Contra Teſtimonia ex *Mariana:*

1. *EVm loqui de Tyranno ſecundi modi.*
2. *Ejus ſententiam particularem ac privatam eſſe, & à nemine Ieſuitarum approbari.*

3. *Eum ex omnibus Ieſuitis privatis*, NONNIHIL *in Tyrannum concedere*, *&* NESCIO QUID *docere publicis rationibus non uſque adeò conveniens.*
4. *Ejus ſententiam à variis Ieſuitis refutatam eſſe.*
5. *Eum erraſſe & paratum fuiſſe melius quid docentibus parere.*

RESP. ad 1. Si de Tyranno ſecundi modi loquitur Mariana, falſum eſt quod Eudæmon 2. dicit, ejus ſententiam privatam eſſe: cum Tyrannum ſecundi modi à privatis occidi poſſe, plurimi Jeſuitæ ſtatuant ab ipſo Cretenſe laudati, ut L. Molina, Greg. de Valentia, Emmanuel Sa, Toletus, M. Delrio; imò, paucis exceptis, communiter omnes. Eum autem loqui de quovis Tyranno, ex contextu & verbis ejus patet. Nam laudat Regicidium in Henrico III. perpetratum; qui ſanè, ſecundùm Jeſuitas, Tyrannus primi modi fuit, & ad illius imitationem omnes Catholicos incendit. Niſi tamen cum Lotharingis ac Guiſiis ſtatuere velint, *Valeſios injuſtos Regni Galliæ invaſores fuiſſe, inde ab Hugone Capeto.* Præterea dicit: *Id omnino & ſemper obtinere, ſi Rempubl. violenter occupaverit, aut ſi populi conſenſu, vel jure hæreditario Regnum teneat, ſed leges honeſtatis & pudicitiæ*

dicitiæ negligat. Et cap. 16. *Quicunque Princeps communis ſe boni, hoc eſt, Religionis ac Patriæ hoſtem præbuerit, taliſque à Republ. judicatus ſit, authoritate & publica & privata è medio tolli poteſt.*

Ad 2. Si hæc ſententia ſolius *Marianæ* eſt, & à cæteris ad unum omnibus Jeſuitis improbatur, quod ad ravim uſque repetunt; cur ergo ſacerrimus ille liber anno 1599. Toleti editus & à ſuperioribus approbatus fuit? Cur *Stephanus* Hoieda viſitator generalis, in Regno, ſive ut Jeſuitæ loquuntur, Provincia Toletana, dicit: *approbatos prius à viris doctis & gravibus ex eodem ordine?* An ergo ille Generalis viſitator; aut illi cenſores eruditi & graves, tam fuerunt bardi ac plumbei, ut de quo in toto libro paſſim agitur, illud ne inſpexerint quidem? aut ſi inſpexerunt, non intellexerint? aut ſi intellexerunt, tam impii, ut privatam unius, in tanta re, ſententiam, non correxerint? Denique cur Magiſter Provincialis *Petrus* de Onna in ejus libri limine ita præfatur: *ſi ad hanc præſcriptam formam actiones & conſilia referantur, næ magnum atque incredibile opera pretium exiſtet.* An ergo neque hic Magiſter inſpexit librum.

Ad 3. At concedere privatis ferro, veneno & fraude perimendi Principes faculta-

cultatem, tot feralia Regicidis conſilia ſuppeditare, laudare infanda parricidia, ad ea adhortari alios & quaſi adjurare, eſtne hoc NONNIHIL tantum privatis in Tyrannos concedere? & NESCIO QVID docere publicis rationibus non uſque adeo conveniens? Nimirum ſecundum Jeſuitas, qui Regem trucidat, is nonnihil tantum, & neſcio quid in Regem committit. Nam neque graviter peccat, cum Spiritus Sanctus ei hoc parricidium inſinuet, ſecundum Johannem Guinardum: neque omnino nihil, cum omne magnum exemplum habeat ALIQVID DE INIQVO PROPEMODVM neceſſe ſit, ſecundum Marianam lib. 1. cap. 3. ex Tacito.

Ad 4. Non novum eſt Jeſuitas refutare id, quod verum eſſe ſtatuunt. Veluti Critonius Perſonii librum, contra ſucceſſionem Regis Scotiæ in Regnum Angliæ confutavit; cum tamen uterque apud ſe ſtatueret, Reginam Angliæ, ut excommunicatam, à Papa; cujus etiam Regnum Hiſpano donatum erat, non potuiſſe inſtituere hæredem, Scotiæ Regem; & Regem Scotiæ ut hæreticum itidem excommunicatum, ejus poſſidendi jus nullum habuiſſe. Hoc enim niſi ſtatuant, Bullæ Papales & fulmina, inane terriculamentum

mentum erunt. Præterea, nemo Marianæ ſententiam, ante Cottonum & Eudæmonem, id quod demum anno 1610. factum eſt, cogente inevitabili neceſſitate, publicè & ex profeſſo refutavit. Ante illud tempus, etiam juſſi eam refutare, tergiverſati ſunt. Nam Henricus IV. id à Cottono impetrare nequivit, qui ſciebat Jeſuitas Hiſpanos Marianam ſuum indefenſum non eſſe relicturos. *Sunt enim Jeſuitæ*, ut quidam ait, *quaſi grex porcorum, ſi quis unum ex iis lædit, omnes in ejus auxilium concurrunt:* ſic unum ſi læſeris Jeſuitam, omnes habebis inimicos & adverſarios. Nunc autem:

Quid juvat errores jam merſa puppe
fateri?

Denique quod omnem impudentiam ſuperat, quod Jeſuitæ Pariſiis metu pœnæ negant, id ſi Romæ vel in Hiſpania eſſent, affirmarent. Cujus impudentiæ exemplum notum eſt, id quod anno 1626. Pariſiis contigit. Cum enim menſe Martio ejus anni Senatus Pariſienſis, de Jeſuitæ *Antonii* Santarellæ ſeditioſo & parricidiali libro, quem Generalis *Mutius* Vitelleſcus approbarat, exquireret, ita reſponderunt Jeſuitæ. Quæſt. *Cum Generalis librum illum approbarit, & quæ in eo ſcripta eſſent, certa cenſuerit, idemne crede-*

crederent? Reſp. *Domini, cum Romæ habitet, non poteſt non approbare, quod Curia Romana approbat.* Quæſt. *Quid ergo creditis?* Reſp. *Prorſus contrarium.* Quæſt. *Quod ſi Romæ eſſetis quid faceretis?* Reſp. *Idem quod faciunt qui Romæ ſunt.* Ad quæ verba nonnulli ex Senatoribus, *Quid ergo*, inquiebant, *aliam habent conſcientiam Romæ, aliam Lutetiæ? ſervet nos Deus à talibus confeſſoribus.* Quæ ideo adduximus; ut appareat, etiamſi centum myriades Jeſuitarum in Gallia clament, plane contrarium ſe ſtatuere atque Mariana ſtatuit; illud tamen non niſi coactè & ſimulatè agere; idem mutata ſententia defenſuri, ubi Romam vel in Hiſpaniam conceſſerint. Et ſi maxime generalis ſua manu omnia dogmata Marianæ ſubſcriberet, tamen vociferaturi eſſent, *hanc privatam unius Marianæ ſententiam eſſe: ſe planè contrarium ſtatuere: aliud Romæ, aliud in Hiſpania, aliud in Gallia obtinere.* Atque hoc eſt quod Ampliſſ. Harlæus in Orat. ſua apud Thuanum lib. CXXXII. dixit: *Quod Ieſuitæ Romæ & in Hiſpania, ubi hæc nova opinionum monſtra vigent, aliter ſentiant, aliter in Francia loquantur: & ut in hanc vel illam ditionem migrent, opinionem ſumant aut deponant.*

Ad 5. Si

Ad 5. Si Mariana paratus fuit meliora ab aliis expectare, & errorem ſuum corrigere, cur non fecit? ſi ſocii ejus meliora & certiora norunt, cur tot annis nemo ipſum erroris admonuit? Cur demum anno 1606, Patres Provinciæ Franciæ de Marianæ libello retulerunt, cum is jam integro ſeptennio ubivis terrarum lectus fuiſſet? Denique cur non generalis publico ſcripto omnes monuit, non Jeſuitas tantum, ſed & Catholicos, ut ſibi ab hoc Mariana caverent, ex quo cædis occaſio vel capta erat, vel capi deinceps potuit? cur non ipſe hæreticum librum & publicæ quietis turbatorem comburi publice juſſit, qui Sacram Scripturam toties combuſſit? At volebant graviſſimi Franciæ Patres ἀλωπεκίζειν & bono Regi palpum obtrudere; eumque paulatim fucatâ benevolentia ſaginare & ſopire, ut eò certius occiderent. Unde illa ficta conſultatio; unde illa legatio ad Claudium; & horribile illud decretum in Marianam profluxit.

II. Contra librum *de juſta Henrici III. abdicatione.*

I. *Eum librum non à Ieſuitis, ſed à Parocho vel Curione Pariſienſi ſcriptum.*

II. *Non*

II. *Non omne illud cui inſcriptum ſit Ieſuitarum inſigne, id ſtatim Ieſuiticum eſſe.*

I. *Quia illud etiam Ethnicorum ſcriptis imprimatur.*

II. *Quia Venetiis Typographi ſint, qui inſigne illud omnibus libris præponant.*

Reſp. ad I. Jeſuita ſibi fabulas fingit ex Pelleterio quodam. A curione Pariſienſi librum illum ſcriptum eſſe unde probabit? Si ſatis hoc conſtat, authorem libri cur non nominant? cur non ſe hac invidia liberant? cur non illud monſtrum produnt, ut vel demortui cadaver juſtas læſæ Majeſtatis & blaſphemiæ pœnas det? Tum omnia Jeſuitica ſunt in eo libro; nihil quod non ſuis ipſorum ſcriptis comprobent; nihil quod non ipſorum conſiliis & rebus geſtis contra Henricum III. pulcrè conſonet. Nam qui illi fuerunt factioſi, inquieto animo, rebelles demagogi? nonne Jeſuitæ, qui omnibus diris & execrationibus in caput Henrici III. debacchati ſunt? Qui illi fuerunt, qui Regnum Galliæ Hiſpano tradere conabantur? nonne *Bellarminus*, *Comolet*, *Cl. Matth.* & alii? Quis *Odo* Pichenat ſexdecim-viratus Pariſienſis Dux fuit? nonne Jeſuita? denique illa ſecta quæ fuit,

fuit, quæ & acerrimè & diutiſſimè, & nemine excepto, ad unum tota, Regi Henrico III. & IV. rebellavit? nonne Jeſuitæ fuerunt? Ergo qui Ligæ temporibus tam acres hoſtes Regis Henrici fuerunt; qui facto & reipſa omnia illius libri de juſta Henrici III. abdicatione, comprobarunt & executi ſunt, illis cur non librum illum adſcribamus, qui & titulo & inſigni Jeſuiticus eſt? Nam titulus habet: *Ex Præcepto ſuperiorum.* Quæ formula Jeſuitarum.

Ad II. Inſigne autem illud eſt quod omnibus libris ſuis præfigunt Jeſuitæ, ſive quos ſcripſerunt ipſi, ſive quos ab aliis ſcriptos, vel in uſum ſuum, vel lucri cauſa, recudunt. Qui omnes libri Jeſuitarum ſunt; non quod omnes ſcripſerint, ſed quod omnes ediderint, approbarint, & caſtigarint. Unde prima ratio Eudæmonis cadit. In ſecunda autem riſui ſe omnibus exponit miſero ratiocinio ſuo. Quid enim hoc ad cauſam facit, Venetiis eſſe Typographos, qui inſigne illud omnibus libris præfigant, cum liber ille non Venetiis, ſed in Gallia & quidem Lugduni excuſus initio ſit? Quid etiam hoc Jeſuitis patrocinatur, circa illud tempus, quo Eudæmon ſcribebat, tales Venetiis Typographos fuiſſe, cum liber ille jam anno 1588.

1588. editus fuerit. Neque demonſtrabit Cretenſis unquam, illo jam tempore fuiſſe Typographos, qui ſibi inſignia Jeſuitarum arrogarent, & velut hederam libris ſuis appenderent.

III. *Exc. contra librum* Mss. Joh. *Guinardi Ieſuitæ.*

Ioh. *Guinardum Quæſtionem Theologicam, de Tyrannorum nece in utramque partem ſcripſiſſe, ut in Scholis fieri ſolet; non verò Tyrannorum necem approbaſſe: ideoque mortem non magis meritum eſſe quam S. Thomas & alii, qui non modo de Tyrannorum nece, ſed etiam Dei exiſtentia in utramque partem diſputare ſoliti ſint.*

Reſp. Initio obiter notandum, Eudæmonem Quæſtionem hanc de Regicidio vocare quæſtionem Theologicam, cum Galli Refut. Anticotoni hoc in Anticotono, tanquam abſurdum, reprehendant. Quod rem ipſam attinet, falſum eſt Guinardum de Tyrannorum nece in utramq; partem diſputaſſe. Neque enim diſputatio ea ſed Panegyricus, in quo factum Iac. Clementis ad cœlum extollit, Reges Henricos indignis modis tractat; ad cædem viventis adhuc Henrici, omnes inſti-

inſtigat, ſeditionibus & bellis feneſtram aperit; cujus ſcelerati libelli ſumma capita ſupra poſuimus. Jam ſi hoc eſt Quæſtionem Theologicam in utramque partem diſputare & ipſa diſputatio & diſputator ab eo Spiritu ſunt, qui eſt homicida ab initio. Præterea Senatus & Curia Pariſienſis, ſapientiſſimi viri, tam ne rudes fuêre & imperiti, ut quæ in utramque partem diſputata erant, ſcholaſtico more, non potuerint diſcernere à definitiva ſententia, à blaſphemiis in Deum, in Regem, à crudelibus & ſanguineis conſiliis? Utri etiam parti credemus? iis ne viris, qui & plures ſunt, & integerrimi, à juventute in judiciis graviſſimis verſati, inſuper Papiſtæ fervidi, & qui rationem ſibi de ſuis factis Deo reddendam norunt? an vero hominibus ſcholaſticis, Jeſuitis, qui neque fide, neque ſapientia conſpicui ſunt; quibus ſolenne eſt ſuorum ſcelera & parricidia, etiam in quibus deprehenſi ſunt, præfractè negare, quique jam propter ſolenne mentiendi ſtudium famigerabiles in toto Orbe ſunt? Eum ne etiam injuſtè occiſum eſſe, qui in laniena Pariſienſi anno 1572 non parcendum fuiſſe Henr. IV, qui Regnum Borboniis eripiendum contendit: qui non Regem tantum Henr. III, Elizabetham, Sue-

cum & Saxonem; ſed etiam Henr. IV. Tyrannis maximis accenſet & anteſert: qui denique omnes ſuperſtites ex his necandos & trucidandos quavis ratione cenſet? Eumne inquam injuſtè occiſum eſſe? Cum tamen ſecundum deciſionem Cretenſis: *Qui Tyranni titulum ad Henrici* IV. *cauſam transferunt, Tyranno ipſi & carnifice digni ſint: & qui Tyrannos occidi poſſe ſtatuunt, ii non aliter quam peſtes ac furiæ publicæ tranquillitatis averſandi ſint.*

IV. *Exc. contra* Apologiam *pro* Joh. *Caſtellio & ſocietate Ieſu.*

I. *Eum librum non eſſe ſcriptum à Ieſuita.*
II. *Nihil eum ad hanc cauſam pertinere.*

Reſp. ad I. Liber ille ſub *Franciſci* Veronæ nomine editus eſt: quod nomen fictum eſſe fatemur. Ediderunt eum Jeſuitæ Belgæ ex Gallico in Belgicum ſermonem verſum. Omnia conveniunt cum cæteris Jeſuitarum ſcriptis: ut ſi non authorem, ſaltem res quæ tractantur, pro ſuis agnoſcere debeant.

Ad II. Liber ille ideo ad hanc cauſam pertinet, quia in eo propugnatur facinus Ioh. Caſtellii, ut juſtum & pium: & probatur Henricum IV. eſſe Tyrannum; ideoque

eoque à quovis privato licite tolli poſſe & debere.

V. Excipiunt contra *Laudationes:*

Se illa parricidia & ipſos parricidas abominari & execrari.

Reſp. Sed fide Jeſuitica; id eſt, ſimulate, verbo non animo; idque quia rerum teſtimonia adſunt, probatu non opus eſt.

Contra *author. Pontif.*

Rom. Pontifices parricidia nunquam probaſſe, nunquam probaturos: Neque ullam extare in jure Canonico ſententiam, qua heretici Principes ſolio ſuo deturbentur, ut ob eam rem nulla expectata ſententia Judicis, ſubjecti quicquam in eos moliri poſſint.

Reſp. Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται. Non probat Pont. Rom. parricidia; nimirum illa quibus filii ἄστοργοι innocuos parentes tollunt. At de Regum cæde qui Pont. Rom. obedientiam negant, & propterea excommunicati ſunt, longe aliter Canones Papales, longe aliter Curia Romana & Jeſuitica loquitur. Nam in Decretal. cap. ult. de Hæreticis ita dicitur: *Qui Eccleſiam contra hæreticos non adjuvabunt fideliter & efficaciter juxta poſſe ſuum, honore ſuo ſpolientur & excommunicentur, &*

Terræ ipſorum interdicto Eccleſiæ ſupponantur. Et abſolutos ſe noverint à debito fidelitatis, dominii, & totius obſequii ejus. Et ipſe Cretenſis ſiparium Tyrannidis Pontificiæ ſatis tollit cap. 2. confut. Anticot. ubi hæc ejus axiomata leguntur: *Summo Pontifici nihilo plus concedimus, quam quantum ad* BENE *adminiſtrandam Eccleſiam, reſque Spirituales ritè conſtituendas, ſatis eſt.* Ibid. *Pontifex in Gallia de* REGNORUM *etiam nonnunquam* SUCCESSIONIBUS *conſtituere poteſt. Et quanquam terrena non eſt poteſtas Eccleſiæ:* TERRENIS *tamen ad promovenda cæleſtia uti jure ſuo poteſtas debet.* Poteſtne quid clarius dici pro Tyrannide Pontificis, contra omnium Regum ac Principum vitam & Dominia? Nam quod tandem Regnum, aut quis Rex erit in quem non, ſub titulo Eccleſiæ & cœleſtium Rerum, Papa poſſit exercere Tyrannidem? Eum excommunicare? Regnum alii tradere, qui cœleſtia melius promoveat? Quanquam revera parum cœleſtia curent, dummodo legitimos Reges ejiciant & animo obſequantur ſuo. Quo modo Julius II. *Navarræ* Regnum contra jus faſque, nullo titulo, nulla cœleſtium curâ motus, in Caſtellæ Reges tranſtulit. Niſi tamen id neceſſarium fuiſ-

ſe

ſe ad animæ ſalutem Navarri Regis dicant, ſecundum illud Bellarmini lib. v. de Poteſtate Rom. Pont. cap. 6. *Poteſt Pontifex ſummus, mutare Regna, & uni auferre atque alteri conferre, tanquam ſummus Princeps ſpiritualis, ſi id neceſſarium ſit ad animarum ſalutem.* Quæ verba Cretenſis citat & defendit; & quibus ſtantibus omnes Reges ac Principes Euangelici non niſi invaſores erunt; quippe excommunicati à Papa; qui etiam Angliæ Regnum Hiſpano donare auſus fuit. Quæ omnia huc tendunt, ut pateat, quam vana ſit Cretenſis tergiverſatio; nullas tales in Jure Canonico ſententias extare: qui etiam ſuo more ludit in voce IVDICIS, quaſi Ieſuitis ſatis judicii non ſit, à Papa excommunicari & deponi.

Exc. contra Martyrium I. *Guinardi.*

I. *Martyrum illorum effigies non à Ieſuitis, ſed ab exteris, lucri cauſa, excudi & protrudi; neque ſe hoc præſtare poſſe.*

II. *Nunquam ſe Guinardum pro Martyre habuiſſe.*

Reſp. ad I. Cum Martyres Ieſuitarum non niſi à Ieſuitis in catalogos redigantur, cumque Typographi omnia ex Ieſuitarum præſcripto agant, nugæ tantum ſunt. Tum quid ad rem facit, ab exteris

eas imagines excuſas, id eſt, extra Galliam? ſunt enim ſane etiam extra Galliam Jeſuitæ. Quid etiam lucri cauſa excuſas refert? Cum Jeſuitæ lucrum ex quavis re quærant.

Ad II. Si J. Guinardum indignum Martyris titulo putant; cur ergo eam tabulam publice non damnant, ut adulterinam? cur ſulfureis ſuis Martyribus tantam injuriam inferri ſinunt, ut propter ſcelera juſto ſupplicio mactatis aſſocientur? cur Typographos ob eam rem non vocant in jus, vel ſaltem redarguunt ut impoſtores? Denique cur catalogos illos in ſuis collegiis publicè proponunt; ut Flexis in Andibus?

II. *Quia Ieſuitæ vel attentarunt vel perfecerunt Regicidia, per emiſſos ſicarios ſuos.*

Regicidia attentarunt:

I. *Contra* ELIZABETHAM.

Anno 1581. *Edmundus* Campianus & alii Jeſuitæ; contra Reginam conſpirarunt. Deprehenſi ſibi triſte exitium, ſociis perpetuam proſcriptionem attraxerunt. Anno 1592 & 93. Ieſuita Holtus tres ſicarios, *Clementem* Iorkium, *Reinhardum* Wil-

Williamum, *Patricium* Cullenum Hibernum, ad trucidandam Reginam conduxit & inſtruxit. Quibus mox ſucceſſit Reginæ Medicus *Lopez*, qui Marianæ conſiliis obſecutus, veneno, quod alii ferro non potuerant, perficere tentavit. Cum & hic fruſtra fuiſſet, Ieſuitæ alium quendam, Iuris Doctorem, *Wilhelmum* Parrium ſubornarunt; qui pugione cædem attentaret. Deprehenſus in parricidio, faſſus eſt *Annibalem* Codretum, & *Benedictum* Palmium authores & promotores cædis fuiſſe. Palmium dixiſſe: *Licitum eſſe Reges & Principes à Papa excommunicatos occidere.* Annib. Codretum ita confirmaſſe eam ſententiam, ut *propriam eſſe Eccl. Cathol. dixerit*; & hæreſeos teneri omnes, qui id negare auſint, vel ſaltem de eo dubitare. Inde *Richardus* Walpot *Eduardum* Squierum Anglum veneno præſentiſſimo inſtructum miſit, ut tolleret Eſſexium & Reginam. Quod & ipſum ſcelus fruſtra ſuſceptum fuit. Quæ & alia plura exempla Abottus in Antilog. ad Apolog. Cretenſis pro Garneto; hæc ex actis publicis recenſet & probat.

II. *Contra* WILHELMVM AVRIACVM.

Anno 1581. *Iaurigni* Cantaber, famulus

Anaſtri, Mercatoris Antverpienſis, perſuaſus à Ieſuitis, *quod deſignato facinore ſtatim in Paradiſum conceſſurus, & juxta Chriſtum è regione Mariæ ſeſſurus eſſet*, Principem incautum globo trajecit quidem, non tamen occidit.

III. *Contra* MAVRITIVM AVRIACVM.

Anno 1594. *Michael* Renichen ſacerdos Namurcanus; & paulo poſt *Petrus* de Four, cui Ieſuitæ ſummam pecuniæ & amplas dignitates promiſerant nec non ἀορασίαν, efficacia Miſſarum quas Bruxellis audierat., ſtatim atque facinus perpetraſſet; eum trucidare aggreſſi ſunt.

Anno 1597. quidam *Petrus* Panne Iperius, pecuniâ & ſpe vitæ æternæ ſine ulla purgatorii pœnâ à IeſuitisDuacenſibus allectus, idem facinus ſuſcepit.

IV. *Contra* HENRICVM IV. *Galliæ Regem*.

Anno 1593. *Petrus* Barrerius à Ieſuitis Pariſienſibus; imprimis P. Varada, Rectore collegii Claromontani, ſubornatus eſt ad cædem Regis, qui jam ante ipſos ſex menſes, ad Papiſmum redierat. Ieſuitæ qui in Burgundia erant, & Comolet Pari-

Pariſiis, auditores ſuos ſpe mirabilis liberationis, excitarunt.

Anno 1594. 27. Decembris *Iohannes Caſtel* filius mercatoris, Ieſuitarum diſcipulus, quod ſæpe ex Magiſtris ſuis audiviſſet, licitum eſſe Reges & Tyrannos, qualis eſſet Henr. IV. occidere, idq; meritorium vitæ æternæ, Regis occidendi conſilium, ad expianda peccata ſua & mitigandas purgatorii pœnas, ſuſcepit. Itaque cum Rex in Luparâ quoſdam nobiles exquiſitè exciperet, turbæ immiſtus, pro jugulo Regis, dentes ejus confodit. Faſſus id ſe à Ieſuitis didiciſſe, nominatim I. Guereto; qui ob eam cauſam totâ Gallia proſcripti ſunt. *Thuanus* lib. cxi.

Anno 1598. Capucinus quidam, non poterat à Ieſuita quodam abſolutionem impetrare, niſi promitteret, ſe Henricum IV. occiſurum eſſe: in quod inops conſilii tandem conſenſit, tentaturus procul dubio parricidium, niſi Dux Lotharingiæ de hoc percuſſore Regem præmonuiſſet.

V. *Contra* JACOBUM I. *Magnæ Britanniæ Regem.*

Anno 1606. Cum comitia totius Regni haberentur, Ieſuitæ horribile ſcelus aggreſſi ſunt: quod *nulla poſteritas probet*,

Sed nulla taceat.

Curiæ cellam unam ingenti vi pulveris nitrati oppleverant; doliis ſaxa & maſſæ ferreæ ingentis ponderis impoſita erant; cum Rege totius Regni proceres horrenda ruinâ oppreſſuri. Complices erant *Garnet*, *Hall*, *Ioh. Gerardi*, *Oſwald* Teſmond, *Perſonius*, *Wallpot* & alii Ieſuitæ.

O nullum ſcelus
Credibile in ævo quodque poſteritas urget.

Exceptiones Jeſuit. contra II. Argum.

I. In GENERE: *Se nullius parricidii ex his, reos eſſe.*

Reſp. Non valet negatio, ubi clara rerum teſtimonia adſunt. Ita enim maximè ſcelerati homines, omni ſuſpicione ſe liberare poſſent. Habemus autem hac in re confeſſiones eorum qui ſcelera ſuſceperant. Habemus acta publica; ubi quibus nominibus accuſati, quid confeſſi, quorum teſtimonio convicti fuerint, latè continetur, quæ non ab Euangelicis tantum, ſed etiam acerrimis Papiſtis concepta ſunt. Idem cum doctrina Ieſuitica conſentit.

II. In

II. In Specie:

I. Contra exempla Parricidiorum, quibus Henr. IV. tollere conati ſunt.

1. *Ipſum Henricum Magnum in Oratione ſua anno 1603. pro Ieſuitis habita autorem eſſe, neminem unquam inventum eſſe, qui à Societatis hominibus necem Regis didicerit; vaniſſimum eſſe totum quod eis objicitur: Ieſuitas non conſcios fuiſſe Parricidiorum; vel etiam Regem de iis commonuiſſe.*

Reſp. Teſtimonium hoc non à Rege Henr. M. ſed à Ieſuitis profectum; tantum abeſt ut Jeſuitas ſuſpicione liberet, ut eos potius coram toto orbe accuſet. Nam Oratio, quam *Poſſevinus* in apparatu ſuo Regi Henrico adſcribit, tota commentum Ieſuiticum eſt, quam Rex neque habuit unquam, neque approbavit. Eſt ergo ſpurius & ὑποβολιμαῖος fœtus mendaciſſimi Ieſuitæ; qui cum maculam Societatis non aliter quam fraudibus delere poſſet, vel ipſi Regi ea affinxit, quæ ei nunquam ne in mentem quidem venerunt. Idque ex his rationibus patet.

I. Quia *Thuanus*, qui ipſe actioni illi interfuit, & omnia diligenter perſcribi

 cura-

curavit, nihil horum meminit quæ Poſſevinus Regi adſcribit. Nam ne verbo quidem Rex ſocietatem defendit, aut priorum temporum acta reſcidit, ſed tantum periculi ex reſtitutione imminentis allegatas rationes citra acerbitatem elevavit, & ſperare ſe dixit, ut quam noxia pro tempore credita ſit, tam uberes ex ejus reſtitutione fructus porro ſit Francia perceptura: & periculum quod exhorreſcant, in ſe recipere, qui majora hactenus Dei beneficio evaſerit.

II. Quia *Poſſevinus* Latinè edidit Relationem Italicam, Turnoni in Vivarienſi pago, anno poſt, id eſt, anno 1604. publicatam, eamque Regi adſcripſit. At illa Relatio vana, & ex fraudibus ac mendaciis tota compoſita fuit, de qua ſic ipſe Thuanus lib. CXXX. Quæ omnia, *inquit*, ego, qui actioni cum multis aliis interfui, eò diligentius perſcribenda curavi; ut VANITAS Relationis, Italica lingua ſcriptæ, & Turnoni in Vivarienſi pago, anno poſt publicatæ, pateat: in qua pleraque contumelioſa contra Ampliſſimum ordinem addita, quæ nunquam tunc Regi optimo ex ore exciderunt; quædam etiam ex rumuſculis collecta, pro reſponſo inculcata, ad ea, quæ ab Harlæo minimè dicta fuerant. Ergo Vana

na Relatio quid jüvabit Ieſuitas?

III. Quia Gallica editio ejus Vanæ Relationis, quam Jeſuitæ anno 1623. ediderunt, multum diſtat à Latina Oratione Poſſevini. Ergo vana mendacia, quæ ſibi non conſtant, quid Ieſuitas juvabunt?

IV. Quia ipſe Rex Henricus IV. in Inſtructione data Villaregio, Legato Romam miſſo, teſtatur, *Ieſuitas odioſos fuiſſe redditos propter cupiditatem & conjurationes adverſus perſonam ſuam, eorum inſtigatione, nullamque eſſe cauſam, cur de illo ordine bene ſentire debeat.* Et ut maxime Rex alicubi excuſaſſet Ieſuitas, & innocentes pronunciaſſet, id quod nunquam demonſtrare poterunt, tamen altæ ſunt Regibus mentes & imperſcrutabili nocte pleraque tegunt: id quod præſertim in Rege Henrico animadverſum eſt, qui tot conjurationibus Ieſuiticis exercitus, in eorum gratiam, quos oderat, nonnunquam contra mentem ſuam loqui coactus fuit. Id quod Thuanus lib. 132. annotavit, cum Index Quæſtionum Dæmoniacarum Cotoni emanaſſet; & multi Cotonum damnarent, ipſe Rex, ut os aulicis obſtrueret, rem quantum poterat verbis elevabat, & de ea ALITER ſentire, quam REVERA ſentiebat, præ ſe tulit.

II. Contra facinus P. Barerii.

Ipſum Regem in Oratione ſua faſſum, ſe à Ieſuitis de tota re præmonitum fuiſſe, & ab alio Ieſuita Barerium monitum, damnationem æternam incurſurum, ſi id unquam attentaſſet.

Reſp. Iam ſatis oſtenſum eſt quid de ea Oratione ſentiendum ſit. Eſt enim Vana & impudens Relatio Italica, à Ieſuitis ad cauſam ſuam conficta, & conſarcinata. Regi ſatis notum ac compertum fuit, à Varada percuſſorem illum ſubornatum fuiſſe.

III. Contra facinus Joh. Caſtelli.

In Caſtelli cauſa non modo nihil ſolidæ probationis, ſed ne ſuſpicionis quidem aliud allatum fuiſſe, contra Ieſuitas, niſi quod infelix iſte juvenis Philoſophicas ipſorum Scholas viſitaſſet, & noxas apud eos expiare ſolitus eſſet.

Reſp. I. Tota Gallia impudentiſſima Cretenſis mendacia refutat. Primò enim Ampliſſimus Senatus nunquam illam ſententiam Iudiciariam retractavit; nunquam Ieſuitis injuriam factam eſſe dixit, ſed ſemper hoc Exemplum Regi propoſuit, etiam anno 1603. & 1610. Tantos autem viros, tam gravem ſententiam dixiſſe,

xiſſe, contra quos non modo nihil ſolidæ probationis, ſed ne ſuſpicionis quidem afferebatur, id vero affirmare ſumma impudentia, ſumma malitia eſt. Nam erant non modo ſolidæ probationes à parricidæ propria confeſſione ſumtæ; verum etiam irrefutabilis accuſatio, quam I. Guinard ſua manu ſcripſerat. Igitur

Cur ita crediderint, niſi quid te detinet,
audi.

de ea re ſigna atque argumenta paucis verbis eloquar. In Caſtelli cauſa ſolidæ probationes hæ fuerunt:

I. Quod ipſe Ioh. Caſtell faſſus eſt, *ſe cum per biennium ſub Ioh. Guereto Ieſuita operam in Philoſophia navaret, ſæpè in illa ſchola audiviſſe*, licere Regem occidere, qui Tyrannus eſſet, eamque ratam & certam inter omnes Patres ſententiam eſſe.

II. Quod inter Jeſuitarum chartas inventus fuerit liber ipſius Joh. Guinardi manuſcriptus, in quo non tantum infinitæ calumniæ & blaſphemiæ contra Henricum III. & IV. alioſque pios Reges & Principes, occurrebant: ſed & cædes Henrici III. laudabatur ut opus Spiritus Sancti: Henrici autem IV. ſuadebatur, *ut eximium & ſingulare opus.*

Prætereo cætera quæ tunc contra Je-

ſuitas allata fuerunt. Quod ſi illa nihil ſolidæ probationis, imò ne ſuſpicionis quidem habuerunt, pudeat Jeſuitas hæc:
Et dici potuiſſe, & non potuiſſe refelli.
Qui tamen alias legiones difflant ſpiritu quaſi ventus folia, aut peniculum tectorium. Nimirum Ieſuitis nihil ſolidæ probationis, imò ne ſuſpicionis quidem eſt, ex ipſo Regis ore (Thuanus lib. cxi.) teſtimonio tum diſcipuli, tum Rectoris convinci.

Exc. contra *Conjurat. Anglic.*

I. Contra Exemplum Garneti.

I. *Eum planè conſpirationis non fuiſſe participem.*

II. *Eum non alia de cauſa occiſum, quam quod revelare noluit, quod ſalva conſcientia non potuerit.* Bellarm. lib. 2. contra Regem Angliæ.

Reſp. I. *Garnetus* initio malitiosè negavit, quicquam ſibi de conjuratione illa conſtare. Deprehenſus ſuo ipſius indicio, nihil habuit quod opponeret, præter æquivocationis & mentalis Reſervationis monſtrum. Inde depulſus ad confeſſionis arcana confugit. Participem autem fuiſſe tota Anglia novit.

II. Si Garnetus facinus nondum perpetra-

tratum ſed cogitatum & ſibi patefactum non approbavit, cur nefarios illos homines abſolvit? cur non dehortatus eſt? cur non æternæ pœnæ comminatione eos deterruit? At tantum abeſt ut hoc fecerit, ut etiam precibus, ſacrificiis & Inſtructionibus conjuratos juverit. Dicunt *eum non factum ſed eventum amaſſe.* Eventus autem quis futurus? Regis, Reginæ, Prolis Regiæ, totius Regni inaudita ruina: tum rebellio & ſeditiones, cædes atque perſecutiones Euangelicorum, quos furioſi Papiſtæ jam ad cædem deſignaverant. Hunc ergo eventum Garnetus amavit. Denique doctrina de confeſſionis arcano, *quod in nullo caſu, propter nullum finem, etiam pro tuenda totâ Republ. ab ingenti malo temporali & ſpirituali, ſceleratorum hominum cõfeſſa parricidia liceat revelare*, ut Cretenſis vult, Diabolicum dogma eſt, quod Regum vitam ſicariis, Regnum ſeditioſis impunè exponit.

II. Contra exemplum *Oldecorni.*

Ei nihil objectum, niſi quod detectam conjurationem probare viſus eſſet, dicens, Rem ipſam ſe Deo & conjuratorum conſcientiis relinquere, *quippe qui neſciret quid quibuſve conſiliis egerint*

rint: ab eventu autem nunquam ſatis de bonitate cauſæ judicari.*

Reſp. Satis manifeſto vel unico hoc tenetur. Quippe facinus probavit. Nam cum noſſet quam illud horribile in ſe, quam crudele in Regem & Regni proceres, eſſet tamen illud extenuavit, & excuſavit, Deo rem committens, acſi conjuratis, injuria fieret. Cur non dixit illud extremè impium & horribile eſſe? At neſcivit quid quibuſve conſiliis conjurati egiſſent. Hoc enim ad Oldecorni defenſionem proferunt. Ergo ne unus Oldecorn non noverat quid quibuſve conſiliis conjurati egiſſent, quod tota Anglia noverat; quod ipſe *Guido* Faux incendiarius faſſus etiam ſine tormentis erat? Et quæ conſilia conjuratorum fuerint, vel ex ipſo apparatu, an non vir gravis & eruditus colligere potuit? Regem, Principem, optimates una cæde tollere: Elizabetham Regis filiam, quæ Burlii educabatur capere, & nuptui locare, denique Papiſmum reducere. Ipſe autem Rex Iacobus rem aliter refert, quam Cretenſis, cui etiam merito fidem habemus; nimirum Oldecornum, re patefacta concionem ad Catholicos habuiſſe, in qua perculſos conſolatus ſit, ut ne infelici conjurationis exitu animos deſponderent.

Regi-

Regicidia *perfecerunt.*

I. In Wilhelmo AVRIACO.

Anno 1583. *Balthaſar* Gerhard Burgundus, cum Treviris & Tornaci complures Ieſuitas, viros eruditos & graves, conſuluiſſet, qui Martyrii honorem pereunti pollicebantur, Principem Wilhelmum globo nefariè trajecit. Vide Meteranum lib. XII.

II. In HENRICO III.

Henricus III. acerrimus perſecutor Euangelicorum, qui tam fidelem Pontifici operam navavit in laniena Bartholomæanâ, totieſque de ea gloriatus eſt, is cum Ligam Hiſpano-Pontificiam à Guyſianis contextam, ſuſpectam haberet, mox pro execrabili Tyranno & publico totius generis humani hoſte à Ieſuitis habitus; tandem per *Iacobum* Clementem Monachum Franciſc. trucidatus eſt. Ieſuitas autem ejus cædis authores, ſuaſores & promotores fuiſſe, inde patet:

I. Quia Ieſuitæ ad unum omnes Regi rebellarunt, eumque in publicis etiam concionibus *Neronem*, *Holofernem*, *Tyrannum maximum* appellarunt, ante & poſt cædem perpetratam; inſuper ejus cædem, ut *opus divinum*, *ab ipſo Sp. S.* *inſi-*

inſinuatum ſummè commendarunt; & ad ejus imitationem alios adhortati ſunt: idque Comolet, Bernard, Palmius, Stapleton, Guinard, Mariana & alii fecerunt.

II. Quia ſuperiores Ieſuitarum non tantum nunquam illam cædem improbarunt, & eas blaſphemias ac rebelliones in Regem: ſed & utrumque ſolenniter approbarunt, ut ex Marianâ patet.

III. Quia *Iac.* Clemens domos Ieſuitarum ſæpe frequentavit; & ab iis, cum cædem moliretur, ad vallum uſque deductus fuit. Et *Mariana* refert lib. 1. c. 6 *Iac. Clementem Theologos conſuluiſſe de Regis cæde & ab iis cognoviſſe*, Tyrannum jure interimi poſſe. Qui autem illi Theologi fuerint facile ſtatui poteſt. *Monachi* non fuerunt: nam illi Ieſuitis hoc titulo non veniunt; ſaltem non ſuperbiſſimo Marianæ. *Sorboniſtæ* non fuerunt: nam illi neque Henr. III. Tyrannum eſſe, neque Tyrannum à privato jure interimi poſſe ſtatuunt. Reſtat *Ieſuitas* fuiſſe, factionis Ligiſticæ capita, qui Theologos appellitant ſemetipſos.

III. In HENRICO IV.

Anno 1610. Menſe Maio Franciſcus Ravaillac à Ieſuitis ſubornatus, Regem

curru Lutetiam per ambulantem, gemino ad cor ictu trucidavit. Hujus parricidii authores, promotores & ſuaſores Ieſuitas fuiſſe inde patet:

I. Quia P. *Coton* ab ipſo diabolo, quid de ſalute ac vita Regis ſperandum eſſet exquiſivit; & hoc ei

Ἐκ τρίποδος Δελφικοῦ ἐφθέγξατο Φοῖβος. *Cui autem opus eſt perſcrutari de Regis ſalute, niſi à quo adverſus illam cogitatur, aut poſt illam ſperatur.* Thuanus lib. CXXXII.

II. Quia *Ravaillac* faſſus fuit, *ſe antequam illud perpetraret, Albinæo Ieſuita confeſſum eſſe:* qui vocatus à Iudicibus, veteratorie dixit: *ſe à Deo hoc donum obtinuiſſe; ut poſt datam confitenti abſolutionem, oblivioni traderet quæcunque ſibi fuiſſet confeſſus.* Ergo Ieſuitis non inſciis, ſed conſciis, id facinus patratum fuit.

III. Quia *Mariana* liber poſt peractum parricidium à Senatu Pariſienſi manu carnificis crematus fuit, *quod animaſſet Regicidam ad horribile ſcelus.* Et P. *Martelerius*, quantumvis Papiſta, tamen in ſua actione coram toto Senatu auſus eſt dicere, *notas doctrinæ Ieſuiticæ apertas eſſe in confeſſione Ravaillaci.* Sic etiam Sorboniſtæ peculiari ſcripto ad Reginam

ginam & Regni Proceres oſtenderunt, *Parricidium hoc à Ieſuitis fluxiſſe.*

Exc. Ieſuitæ.

I. Contra Parricidium Henrici III. ſe ejus non eſſe authores.

I. *Quia nemo Ieſuitarum ipſum Tyrannum vocarit.*

II. *Quia ut maxime illud verbum cuidam elapſum eſſet, tamen id à ſuperioribus approbatum non eſſe.*

III. *Quia probari non poſſit eos Iac. Clementi cædendi Regis authores fuiſſe.*

Reſp. ad I. Et ante & poſt cædem Henricus III. à Ieſuitis Tyrannus vocatus fuit, ut ſi non ejus authores, ut fieret, ſaltem approbatores, poſtquam jam factum eſſet, habendi ſint. *Ioh.* Guinard in libello MSS. *Le Neron cruel à eſte tué par un Clement.* Thomas *Stapleton* Promt. Morali in dominicam XIX poſt Pentecoſt. cum exempla Juſtitiæ Divinæ contra perſecutores fidei, Neronem, Domitianum, Decium, Maximianum, Licinium & alios recenſuiſſet. *Qui hodie*, inquit, *horum facta imitantur, horum exitus perhorreſcant. Nam & dum hæc ſcribimus, Henr.* III. *Franc. Rex gravis* ECCLESIAE DEI PERSECUTOR, *primum tetra hypocriſi & hæreti-*

reticos tolerando, *poſtea* APERTA PERFIDIA, *Catholicos Principes Guyſios barbarè trucidando*, *juſto demum judicio Dei trucidatur & ipſe*. Et in Dominica xx cum Rurſum Tyrannis, Pharaoni, & Ieroboamo Henr. III. accenſuiſſet, ejuſque Tyrannica opera retuliſſet; *Sic*, inquit, *Pharaones & Ieroboas novos hæc ætas vidit*. Ioh. Mariana lib. 1. c. 6. ubi Quæſtionem tractat: *an Tyrannum opprimere fas ſit?* Iacobum Clementem dicit, *cognoviſſe à Theologis quos erat ſciſcitatus*, Tyrannum jure interimi poſſe; *ideoque rectè occidiſſe Henr.* III. Et quid opus erat Henr. III. nominare Tyrannum, cum Ieſuitæ, facto & opere ſatis declararent eum eſſe Tyrannum? Quem Regno expulerunt tanquam excommunicatum; ſua repetentem, pro invaſore nefariè habuerunt.

ad II. Quod neque imprudenter, neque uni tantum hoc verbum exciderit, ex allegatis patet: quippe qui in libris ſuis, quos diligentiſſimè ſcribunt, & recenſendos dant, hoc habent. Quod à ſuperioribus approbatum fuerit, ex eo patet, quia ipſi ſuperiores hoc ſcripſerunt, ut Iohannes Guinardus qui Rector collegii fuit. Præterea libri illi cum approbatione ſuperiorum editi ſunt, ut ex *Mariana* & *Staple-*

Stapletono patet, de quo ſupra. Et Marianæ quidem liber anno 1599 demum, hoc eſt integro decennio poſt cædem Henrici III. editus fuit. Unde patet non in illa temporum caligine tantum, ubi omnia velut fato quodam ad ruinam agebantur, ſed & diu poſt, pacatis jam rebus, combuſto Guinardo & expulſis ſociis propter eandem ſententiam, eos tamen conſtantes in ea manſiſſe; dum publico omnium nomine, quod Mariana ſcripſerat, cenſores approbarunt.

ad III. Eos *Iac.* Clementi authores Regicidii fuiſſe tribus evidentibus rationibus ſupra probatum fuit; quibus præter impudentiam & mendacia, quod opponant, non habent.

II. Contra Parricidium in HENRICO IV. patratum.

I. *Se non vocatos in jus; quod tamen in Caſtelli cauſa factum, ubi in minore ſuſpicione fuerint.*

II. *Reginam Ludovicum filium, calente etiamnum parricidio, ipſis in diſciplinam dediſſe.*

III. *Se à Rege Henrico* IV. *maxime amatos, neque tam ingratos eſſe, ut bene factorem ſuum, neque tam iratos ſibi, ut à quo majora expectabant, trucidarent.*

IV. *Se*

IV. *Se Henricum* IV. *nunquam pro Tyranno habuiſſe.*

V. *Henricum Gondium Epiſcopum Pariſienſem, publicis literis innocentiam Ieſuitarum aſſeruiſſe.*

Reſp. ad I. Vocatus in jus *Mariana* fuit, tanquam fomes Regicidii, liber etiam ejus ultricibus flammis publice exuſtus, id quod authorem quoque flammis dignum, & eodem exemplo atque *Ioh.* Guinard puniendum fuiſſe arguit.

II. Vocatus etiam in jus fuit *Bellarminus*, cujus librum contra Barclajum, eodem anno 1610. menſe Sept. idem Senatus condemnavit; *quod doctrinam execrabilem ad* EVERSIONEM *poteſtatum*, *Rebellionem*, *ad machinandum in* PRINCIPVM CAPITA, *contineret.*

III. Vocatus etiam in jus fuit *Antonius* Santarellus Ieſuita anno 1626. *quod ejus liber, rebelliones, ſeditiones &* PRINCIPVM PARRICIDIA *excitaret*; quem etiam librum Senatus comburi juſſit. Præterea multi non vocantur in jus, qui tamen rei ſcelerum ſunt, propterea quod vel clam omnia perpetrarunt, vel quod ſpecie ſanctitatis & integritatis pro innocentibus habentur; vel quod facinus præfractè negant; vel quod corruptis judicibus, & favore potentiorum eo eri-

 piun-

piuntur. Quæ omnia in illa cauſa Ieſuitarum tum concurrebant. Sed bene eſt quod ipſe Cretenſis mendacia ſua detegit. Nam ſi anno 1610. in majore ſuſpicione admiſſi parricidii, quam anno 1594. fuerunt, ſane nihil certius eſt, quam authores ejus parricidii fuiſſe; cum fuerint anno 1594: ideoque ſi non palam, ſaltem tacite à tota Galliâ accuſatos & in jus vocatos eſſe.

ad II. Factum Reginæ Ieſuitas non excuſat: quia ſæpè etiam prudentiſſimi homines impingunt, & in clara luce cæcutiunt: neque ſemper quid fiat, ſed quid fieri debeat, in Principum aulis, ſpectandum eſt.

Ad III. Ita quidem futurum ſperaverat Henricus IV. ut ingentibus victi beneficiis in præſens ac ſpe majori impoſterum miteſcerent: ſed graviter deceptus fuit. Nam cum videretur aliquid in detrimentum domus Auſtriacæ moliri, *per Dei gratiam & bonorum curam culter obſtitit*, ut Ieſuita Fabricius apud Apoſtatam *Iarrige* (nam & ad Apoſtatarum confeſſionem Cretenſis provocat) loquitur.

ad IV. Non repetam quæ ſupra in hanc rem allata. Satis hic eſt Ioh. Guinardum citare, qui manu ſua ſcripſit, *hos tres Tyrannos eſſe*, Henr. III. Anton. *Regem Luſitaniæ* & Henr. IV. ſive *Bearnenſem.*

Præ-

Præterea notæ Tyranni Ieſuitici optime in eum quadrant: ut qui ſe cum hæreticis conjunxit, iis auxilia tulit: eorumque auxiliis contra Catholicos uſus eſt.

ad V. Ergone Ieſuitæ innocentes ſunt quia hoc Gondius dixit? Eſt ſane Epiſcopi Pariſienſis teſtimonium, tantum tamen authoritatis non habet, ut Ieſuitas à reatu parricidii liberare poſſit, cum præſertim nil niſi puras Ieſuitarum negationes afferat. Quod ſi hujus authoritati concedendum putant; non erit cur ejus judicium ſubterfugiant, qui etiam Epiſcopus Pariſienſis fuit, nempe *Euſtachii* Bellaii. Præterea Gondius ibi nihil de libris, nihil de doctrina, nihil de anteacta vita & exemplis attingit, tantum rumuſculos hinc inde ſparſos redarguit. Sed quid hoc ad rem?

Atque hæc Exempla impræſentiarum attuliſſe ſatis eſt. Alia prætcrimus ut *Caroli* IX & *Ianæ* Albretiæ matris Henrici IV, quas perſonas à Ieſuitis veneno ſublatas putant; quod non ſatis certa indicia ejus rei proferri queant. Inſuper nihil attigimus quo furore etiam privatos trucidare aggreſſi ſint; ut Fr. *Paulum* Servitam, Venetum Theologum anno 1607. quod ea exempla latronum ſint, nos autem de parricidis agamus.

Sectio II.

Poſtquam probatum eſt Ieſuitarum hanc doctrinam eſſe: reliquum eſt ut quibusnam rationibus ipſi hanc à ſe depellant, inſpiciamus. Ita autem antitheſin Cretenſis format: *Nego, non modo in Reges moderatos & æquos, ſed ne in eos quidem, qui Regno, quod jure obtinent, Tyrannicè tamen dominantur, quamvis infideles, hæreticos, perſecutores Eccleſiæ, etiam Religionis cauſa, privato cuiquam à Ieſuitis jus ullum tribui.*

Ad quam Propoſitionem rectè & ex mente Ieſuitarum intelligendam, neceſſe eſt ea repetere quæ ſupra dicta ſunt de ambiguitate quarundam vocum, ſub quarum prætextu Ieſuitæ latent. Nam in his rurſum

Squammeus in ſpiram tractu ſe colligit anguis.

Primo enim nihil dicit de *Tyrannis ſecundi generis.* Illos ergo ſilentio ſuo cuivis privato trucidandos proponit.

Secundo non declarat, quid ipſi ſit *jure Regnum obtinere.* Procul dubio depoſitos & excommunicatos à Papa, quorum Regna aliis donata ſunt & deſtinata, per mentalem reſervationem, hinc excipit.

Tertio omittit neceſſarias limitationes

Maria-

Marianæ, ſub quibus tantùm Ieſuitæ ea admittunt.

Quarto ambiguè ſumit voces: PRIVATO, & JUS NULLUM; quæ ex Ieſuitarum ſenſu nihil ſententiæ Marianæ derogant.

Rationes autem *Ieſuitarum* hæ ſunt.

I. *Si placitum illud noſtræ ſocietatis eſt*, inquiunt; *id aut in libris noſtris, aut viva voce in ſcholis tradimus, aut quaſi myſterium privatis parietibus continemus, tamen cum noſtræ ſocietatis hominibus communicamus.*

At neque è tanto noſtrorum auditorum numero inventus eſt quiſquam, qui ſe id à nobis didiciſſe diceret, neque in noſtris voluminibus legitur, neque cum eorum qui à noſtra ſocietate defecerunt, nonnulli denique ipſam Eccleſiam deſeruerunt, quiſquam tamen, quamvis rogatus, hanc ſententiam nobis auſus eſt affingere. Ergo hoc placitum non eſt noſtræ ſocietatis.

Reſp. Et in libris ſuis hoc tradunt, & in ſcholis ac Templis viva voce: & ut myſterium inter ſuos propagant: idque qui à ſocietate defecerunt, fatentur. Inſpiciantur tantum illa quæ duplex ille Apoſtata *Petrus* Iarrige de Ieſuitis longè

atrociora confeſſus fuit. Cæterum quamvis hodie, ut ad omnes fraudes parati ſunt, eam doctrinam diſſimulando tegant, tamen non poſſunt non animi ſecreta prodere. Primo enim illud ingens argumentum eſt, quod Marianæ doctrinam vel extenuant, vel tam ambiguis ac fucatis verbis damnant, ut eam ne attingant quidem, ſed aliam quandam opinionem confingant, quæ non Marianæ, ſed nec ullius Ieſuitæ eſt. Secundo, cum diu multumque tricis & ambagibus omnia involverunt, tandem in Marianæ ſententiam, mutatis verbis, ſed non ſententiâ, manibus pedibuſque concedunt. Nam certum hoc & fixum eſt apud Ieſuitas, *Reges & Principes à Papa excommunicatos, vel ab ipſa Republ. id eſt ſeditioſis & Ieſuiticis hominibus depoſitos, non poſſe amplius ullos actus Iuriſdictionis exercere; neque amplius Reges, Principes aut ſuperiores eſſe, ceſſante vinculo fidelitatis. Quod ſi pergant uti poteſtate, invaſores fieri & ut invaſores puniendos.* De quibus Suarez lib. 6. c. 4. & 6. contra ſectam Anglic. latè agit. Neque mirum tam raro nebulones in hoc facinore deprehendi, ſiquis cogitet quam circumſpectè in tanta re & quam caute omnia agant, qui aliud clauſum in pectore, aliud promtum

in lingua habent; qui ita inſtruunt emiſſarios ſuos, & diſcipulos, ut deprehenſi mille mortibus perire ſatius eſſe putent, quam vel minimo indicio ſocietatem prodere: ut *Iac. Aug.* Thuanus Eleg. in Parricidas Ieſuitas his verbis conqueritur:

Nam quibus excubiis Majeſtas Regia poſthac
Aut quo ſtipatu vivere tuta queat?
Si pueri diſcunt his vitam odiſſe Magiſtris,
Extrema & mortis temnere ſupplicia.
Si tormenta pati poſſunt, nilque inde fateri,
Hacque polum ſperant ſcandere poſſe via.

II. *Quia Ieſuitæ non tantum decretum concilii Conſtant. ſeſſ.15. approbant & defendunt: ſed & eorum generalis novo decreto eam doctrinam ut impiam & blaſphemam, damnavit, & toti ſocietati ſevere interdixit.*

Reſp. I. Decretum illud concilii Conſtant. non directe Marianæ ſubtilitatem & Societatis argutias de Regicidio oppugnat: ſed craſſam illam *Iohannis* Petiti ſententiam, quam Ieſuitarum eſſe nemo dicit. Poſſunt ergo utrumque facere: & decretum illud Conſtan-

tienſe approbare: & tamen ſententiam ſuam de Regicidio tot modis limitatam retinere.

II. Diverſæ apud ipſos ſophiſtas ſententiæ ſunt de ſenſu ejus decreti: Plerique eorum, ut *Greg.* de Valentia, *Toletus, Becanus*, & alii de *Tyranno primi generis* id explicant. De *Tyrannis ſecundi generis* altum ſilentium, imo altus clamor, eorum cædem illo decreto non prohiberi. Quod ſi hanc explicationem ad mentem Ieſuitarum accomodemus, manifeſtum evadet, eos ita approbare hoc decretum, uti jacet, id eſt, ſine limitationibus: *Non licere privato Tyrannum occidere, ſine publica ſententia; quamdiu ſua legitima poteſtate non exuatur; quamdiu maneat Princeps. Excommunicatum itaque & publica authoritate depoſitum occidere non prohibet illud decretum ſecundum Ieſuitas, adeoque nec ipſi Ieſuitæ.*

III. Qua mente generalis vel Marianæ ſententiam repudiarit, vel ipſam Regicidii doctrinam Societati interdixerit, ſupra dictum: id eſt, peſſima, ſophiſtica & captioſa: unde illud interdictum non magis Ieſuitas tangit quam concilium Conſtantienſe.

IV. *Si ex verbis quibuſdam Ieſuitarum,*

rum, quibus durius in perſecutores Eccleſiæ loquuntur, recte concluditur eos Regicidas eſſe, idem de Huſſo, Luthero, Calvino, Zwinglio, Beza, Buchanano, Foxo *& aliis verum erit, quippe qui ipſi peſſimè de Principibus, qui Euangelium opprimunt, loquuntur, eoſque occidi debere contendunt.*

Reſp. I. Ieſuitæ nihil ex publicis confeſſionibus & ſcriptis poſſunt proferre, quod vel Magiſtratus authoritati deroget, vel violentas manus iis injicere jubeat. Privata ſcripta hujus vel illius quod attinet, ea ut maxime tale quid continerent, tamen illud crimen in ſolis authoribus hæreret, nihil ad alios pertineret. Nam longe alia ratio horum ſcriptorum eſt, atque eorum quæ Ieſuitæ edunt. Nam Ieſuitæ nihil edunt ſine prævia complurium cenſurâ, qui tum demum libri edendi facultatem concedunt; ſi nihil in eo contra fidem & vitam Ieſuiticam deprehendant. Unde privatum unius Ieſuitæ ſcriptum, de totius ſectæ ſententia teſtatur. At horum ſcripta quæ Ieſuitæ citant, neque recenſa ſunt ab aliis ad eam rem publice deputatis, neque approbata in omnibus; unde ſi quid peccatum eſt, id omne ad ſolum anthorem redundat. II. Nullus etiam Euangelicorum, unquam, vel ſubornavit percuſſorem in hunc vel illum

Regem, vel approbavit ea conſilia & ſuaſit, vel parricidiales manus ipſi intulit. Nullum hujus rei exemplum proferri poteſt. III. Denique falſum eſt ullum ex his, quos citant, vel approbaſſe, vel commendaſſe, vel mandaſſe Regicidium.

Summa capita Reſponſionum ad ea loca, quæ ex Euangelicis Ieſuitæ citant.

I. Ad loca *Ioh.* Huſſi.

Nicol. Serrarius Quæſt. in 3. cap. Iud. in concilii Conſt. ſeſſ. xv. HVSSIANVS hic damnatur articulus: *Quilibet Tyrannus poteſt licitè à quocunque interfici.*

Reſp. *Serrarius* impudentiſſimè mentitur. Nunquam Regicidium *Ioh.* Hus vel approbavit, vel defendit, vel tradidit voce & ſcripto Qua in re non tantum acta Concilii eum mendacii convincunt, ſed & alii Ieſuitæ. Nam illo decreto condemnatus fuit *Ioh.* Petitus, qui à *Gerſone*, Regis Galliæ nomine accuſatus fuerat, quod dixiſſet in cauſa Burgundi: *Licitum eſſe privato Tyrannos occidere.* Et hanc hiſtoriam Ieſuitæ ut veram admittent.

II. Ad loca *Lutheri.*

I. *In Refut.* Sylveſtri *Prieratis.*

Lutherus non dicit jus Privatis occidendi Reges & Principes eſſe; ſed tantum

tum Magiſtratum hortatur, ut ſi Pontifex ac Cardinales ita pergerent turbare Remp. Chriſtianam, ab iis pœnæ exigerentur, quales nefariis hominibus debentur. id quod Apoc. xvii. 16. & xviii. 5. 6. 7. prædictum ac mandatum eſt. Sed quid hoc ad rem?

II. Ex lib. viii. *Sleidani.*

Lutherus judicavit fedus Smalcaldicum defenſionis cauſa iniri poſſe, ſi vel Cæſar ipſe, vel alius Bellum Religioni intuliſſet. Sed quid & hoc ad rem? an ergo inire fedus Religionis defendendæ cauſa eſt Regicidium defendere? an vero eo fœdere percuſſores contra Cæſarem & alios Magiſtratus emiſſi ſunt?

III. Ex libro contra *Henricum* VIII. Regem Angliæ.

Quod *Lutherus* Regem Angliæ paulo durius tractavit, ejus poſtea ipſum pœnituit, qui Regi irato miſſa palinodiâ ſatisfacere conatus eſt. Sed quod dixerit aut ſcripſerit, eum ut Tyrannum poſſe à privato occidi; quodve Majeſtati ejus quid derogarit & authoritati Regiæ, putidum mendacium eſt. Semper diſtinxit Regem à ſophiſta, quem tunc induerat.

III. Ad *Zwinglii* loca.

I. *Ex Tomo* I. *in Explan. articul.* XLI.

Zwinglius in eo erravit, quod omnia regna electiva, nullum ſucceſſivum eſſe putavit. Unde concludebat; ſi Rex aut Princeps electus pactis ſuis non ſtaret, ſed Tyrannicè ſe gereret, eos qui ipſum elegerant, poſſe ipſum quoque deponere. Ex loco autem ejus patet:

I. *Eum neque probaſſe, neque ſuaſiſſe, ut vel à privato percuſſore occideretur, vel bello pelleretur.*

II. *Eum ejuſmodi conditiones poſuiſſe, quæ ſunt impoſſibiles ut non habeant Reges quod ſibi à Zwinglio metuant.*

IV. Ad *Calvini* loca.

I. *In cap.* VI. *Dan.* v. 22. 25.

I. Calvinus eo loco egregie aſſerit authoritatem & obedientiam Principibus debitam, quam diu ipſi Deo non rebellant.

II. Cum autem Deo rebellant, & præcipiunt ut nos eum abnegemus, & à fide deſciſcamus, *tunc in capita eorum*, inquit, *potius conſpuere oportet*, *quam illis parere:* id eſt, tunc non eſt parendum, ſecundum illud Act. v. 29. ubi notandum:

I. *Eum non dicere occidendos eſſe tales Re-*

Reges authoritate vel publica vel privata.

II. *Eum non dicere; in nulla re, ne in civilibus quidem, iis parendum eſſe, ſed tantum in iis, cum præcipiunt, ut contra Deum ejuſque verbum faciamus, ſpernendos eſſe docet; ut Daniel & Apoſtoli fecerunt. Quid autem hoc ad Regicidium?*

IV. Ad *Cnoxi* & *Buchanani* loca.

Uterque in Regno Scotiæ deſcribendo hallucinatus eſt; eo quod putarunt Regnum Scotiæ non eſſe abſolutum. II. Scripſerunt ſub acerrimis perſecutionibus, homines fervidioris ingenii. III. Nemo tum ex iis Ieſuitica conſilia ſuppeditavit. IV. Neque eorum ſententia ab Euangelicis approbatur.

III. *Si ideo, quod quidam ex ſcholis Ieſuitarum Regicidia attentarunt, Ieſuitæ Regicidæ ſunt, etiam Euangelici Regicidæ erunt.*

I. *Quia à Calvino & Beza deliberatum fuit Genevæ, de Franciſco* II. *Regia uxore, Liberis & Regni ordinibus ad præfinitam diem trucidandis. Beza etiam pro concione dixit, quod ſcrofam cum porcellis mactare ac diſcerpere oporteat, teſte Surio, Carpentario, Genebrardo. Denique corpus Franciſci* II. *à Calviniſtis combuſtum fuit.*

II. *Quia Iacobus Rex Angl. teſtatur ſibi à Puritanis, ſeu Calviniſtis, vitæ inſidias, inde ab infantia, ſtructas fuiſſe.*

Reſp. ad I. Si accuſare, mentiri & calumniari licet, quis innocens erit? Ut tanti criminis *Calvinus* & *Beza* rei peragerentur, opus erat proferre teſtes fide dignos, teſtimonia etiam certa & explorata eſſe; ipſorum vel ſcripta vel conſilia & ſecretas inſtructiones aliis datas. Iam nihil horum unquam aut allatum eſt, aut afferri potuit; nunquam etiam eo nomine accuſati *Calvinus* & *Beza*, ſub Franciſco II. Carolo IX aut Henrico III. Illi autem qui hoc commenti ſunt homines peſſimi & jurati Genevenſium hoſtes fuerunt: qui propter mendacia ſolennia apud ipſos Papiſtas ſubleſtæ & dubiæ fidei ſunt. Itaque illi ipſi, unde tanto ſceleri robur accedere debebat, omnem ei fidem derogant. Putidum itidem commentum eſt corpus *Franciſci* II. ab Hugonotis combuſtum fuiſſe. Quis hiſtoricorum hujus meminit? Quis non contrarium docet? ſepultus enim in Fano Dionyſii eſt, hodieque ejus tumulus ibi conſpicitur. *Belleforeſt* in Franc. II. *Thuanus* lib. 26. & alii.

Ad II. Falſum eſt Iacobum de Calviniſtis id eſt Reformatis, tanquam Regicidis & vitæ ſuæ inſidiatoribus, conqueſtum.

ſtum. Quos per Puritanos intellexerit, ex ejus Dono Regio patet, id eſt, factioſos quoſdam in Scotia.

Manet ergo quod dictum fuit, Jeſuitas voce & ſcriptis docere, licitum eſſe Reges privato ad id deputato occidere: ejuſque exempla Ieſuitas compluria edidiſſe.

De quibus ita Iac. Aug. Thuanus in Elegia in Parricidas:

Nata Magiſtratum convellere, nata miniſtris
Subtrahere obſequium, Præſulibuſque ſuum:
Et viles regnantum animas, ipſoſque necandos
Horrenda Reges proditione docet:
Servandamque fidem negat, argutiſque cavillis
Detorquet magni juſſa ſevera Dei.

DISSERTATIO XX.

De Regnis DANIAE *&* NORWAGIAE.

1. IMperium Danorum regna Daniæ, Norwagiæ, & hujus titulo Lapponiam Occiduam cum Iſlandiæ Principatu, atque Gronlandiæ littoralis tractum complectitur, vaſtas regiones, & in ultimum

timum protenſas Septentrionem, ubi mare pigrum ac glacie immotum, quo cingi cludique terrarum orbem fides eſt.

2. Gens Danorum, Norwagorum, Suedorum, unius, id eſt, Gotticæ originis, qui ex Taurica in Cimbricam progreſſi Cherſoneſum, inde in oppoſitum, infuſi orbem, per tot nomina diviſi ac nationes ſunt. Quod vir ſummus Hugo Grotius, in antiloquio ad res Gotticas propediem docebit. Lapponibus eadem quæ Fennis & lingua & origo, id eſt, Hunnica.

3. Antiquiſſimis apud Suionas & Sitones, qui Suedi ac Norwagi ſunt, regnatum temporibus, author Tacitus refert. Certior Daniæ memoria in Caroli M. Imperium incidit. Superiora fabulis involvuntur ac tenebris, quibus fidem nemo adhibet, niſi qui & fabuloſo Annio Viterbienſi ac Manethoni Ægyptio credendum putat & Sinenſium traditionibus. Cauſam conferre in literarum & ſcriptorum inopiam, ratio aliis quoque gentibus communis ſuadet. Ac quamvis Runicæ per Scandinaviam literæ rupibus inciſæ, magnam præ ſe ferant ſenectutem, quis tamen exindè Regum non dicam à Magogo, ſed vel Dano Humbli

bli filio, per tot ante Chriſtum ſecula, petendam ſeriem exiſtimet?

4. Tria illa in Septentrionem Regna, multoties vel armis vel fœderibus conjuncta, ſæpius in ſingulos diviſa Reges, ante ſeculum & quod excurrit, duobus ſceptris nomen Majeſtatemque, Danorum ſub quibus & Norwagi, ac Suedorum, dedere.

5. Norvvagia Suediæ ad Orientem contermina immenſo terrarum montiumque tractu uſque in Lappones ultimos ac Scritofennos extenſa, olim populoſiſſima, poſteà continuis exhauſta bellis ac migrationibus, hodiè rarius habitatur. Ipſi autem Norwagi primum civilibus inclaruere diſſidiis circa A. C. Iↄccccxl. Tum enim terræ prohibiti Imperio, maria infeſtarunt, ac confluente ex tribus Regnis multitudine, Normanni dicti ſunt. Quod nomen illo ævo per univerſam terribile Europam fuit. Ac quas exindè clades intulerint Galliæ, quas Belgio vaſtitates & Germaniæ cum Britanniis, Annales loquuntur atque uſitata illo ævo precum formula: *A furore Normannorum libera nos Domine.*

6. Ac quamvis illæ Normannorum excurſiones piraticæ fuerint, optimis tamen Principatibus, in Gallia, Belgio, Ita-

Italia originem dedere. Nam & Hollandiæ & Zelandiæ, quas diu habitarunt, ab ipſorum Hallandia & Zelandia, nomen impoſitum, & Normannia eſſe cœpit, quæ olim Neuſtria erat, & Apuliam Siciliamque Saracenis ereptam ac Græcis, ſceptro ſuo ſubjecerunt. Multæ à latrociniis auſpicia traxerunt Reſp. & omnium inſtar Romana, de qua ex Ciceronis Rep. Lactantius: *Si Romani qui orbem totum poſſedere, juſtitiam ſequi velint, ac ſuum cuique reſtituere quod vi & armis occuparunt, ad caſas & egeſtatem. reverten-tur.*

7. Meliori jure deſertam hactenus, ac ultimam, niſi poſt tergum Gronlandia eſſet, terrarum, ſive illa veterum Thule fuerit, quod nobis videtur, ſive incognita plane inſula, Iſlandiam, occuparunt ex Norwagia ab Haraldo Pulchricomo circa A. Ch. IↃCCC LXXIV. pulſæ familiæ. Quam primus Ingulfus Dux Fyrdafylcenſis cum numeroſa manu, exul, habitare cœpit, eumque poſteà ſecuti plurimi. Vera enim Bojocali vox: *Sicut cœlum Diis, ita terras generi mortalium datas: quæque vacua, eas publicas eſſe.* Ex Iſlandia deindè in Gronlandiam Ericus Ruffus A. Ch. IↃ CCCC LXXXII colonos duxit.

8. Ab his Gronlandis Mexicanos Ame-

mericæ gentem & pleraſque in illo novi Orbis Septentrione nationes profectas, Hugo Grotius contendit. Cui una illa opponi poteſt & invicta ex temporum collatione ratio; Mexicanos jam circa A. Ch. Iↄcccc. in illis Americæ partibus fuiſſe. Ut nihil jam de aliis dicam argumentis, quæ opinionem illam planiſſimè evertunt. Utrique, Iſlandi ac Gronlandi, diu longinquitate viarum & ignoti maris inacceſſi exemtique Imperio: donec Norwagiæ Reges antiqua repeterent jura & gentem ſuæ originis liberamque hactenus, ſibi ſubjicerent.

9. Sed omiſſis antiquioribus, ad Margarethæ tempora, id eſt, A. Ch. cIↄ cccLxxv. accedimus. Ea, Danorum Semiramis, invicti animi Princeps, Norwagiam Suediamque, illam connubio, hanc armis, Daniæ ſuæ adjunxit. Ac ut ea trium Regnorum perpetua eſſet unio, ſolenne fœdus inter Danos, Suedos, Norwagos initum, ita quidem, ut in electione Regum, Dania & Suecia, alternis vicibus, ſuffragium primum haberent.

10. At non diuturna Septentrionis Unio fuit. Cauſa, una quidem & communis, Suedorum in Danos naturale quaſi & hæreditarium odium. Peculiaris autem cauſa, quam Suedi protulerunt, ſive

is

is obtentus fuerit, hæc erat, quod Dani in Electione Chriſtophori III. primum uſurparint, contra Calmarienſia pacta, ſuffragium.

11. Ita alium ſibi Suedi Regem, Carolum Canuti, alium Dani, Chriſtianum I. Oldenburgicum, conſtituerunt. Ac quamvis aliquoties Unio Regum repeteretur, ſub Chriſtiano I. Johanne, Chriſtiano II. Suedi tamen, conqueſti pacta violata, proprios ſibi Reges impoſuerunt.

12. Eſt autem ſtatus Daniæ Monarchicus. Quippe cum *cunctas nationes & urbes populus, aut primores, aut ſinguli regant*, optima communi conſenſu Reip. forma eſt, quæ unius arbitrio regitur, eademque antiquiſſima. *Regium* enim *nomen in terris primum fuit*. Hinc Danorum Rex jure meritoque Monarcha dicitur. Ac intolerabilis Bodini ſive malitia, ſive etiam inſcitia eſt, qui dum ſolam admiratur Galliam, cætera omnia Regna deprimit, & Regibus Daniæ non niſi Principum titulum convenire vult.

13. Cumque omnia Regna vel *Electione* conferantur, vel *Succeſſione*, Danis illa, hæc Norwagis placuit. Utrique graves inſtituti ſui rationes habuere. Et Norwagi quidem, jam antiquiſſimo ævo adductius regnati. Hinc & Succeſſio ipſis pla-

placuit & fœminarum dominatus. Tacitus de iis Sitonum nomine : *Suionibus Sitonum gentes continuantur, cætera ſimiles, uno differunt, quod fœmina, dominatur.* At de Suionibus paulo ante dixerat: *Vnus imperitat, nullis jam exceptionibus, non precario jure parendi.*

14. Cæterum cum *Principes mortales ſint, Reſpublica immortalis*, ne interregni incommoda ſubditos premant, deſignari plerunque Rex ſolet, qui decedenti ſuccedat. Quod ubi fit, tum longè præferenda electio ſucceſſioni eſt, cujus omnia commoda complectitur, & mala illo temperamento evitat.

15. Rex Hafniæ coronatur, ac in leges Regni & gentium privilegia jurat. Nam quod Bodinus id cum Majeſtate Principis pugnare exiſtimat, ne quidem ab inſania excuſari poteſt. Falſiſſima quoque apud eum Majeſtatis definitio, quod ſit *Summa in cives & ſubditos legibuſque ſoluta poteſtas.* At nobis legitima poteſtas eademque ſumma eſt, & Trajani, maximi Imperatoris exemplum probatur, qui ſtans & erectus, ante Conſulem ſedentem, juravit in Leges. Quod fruſtrà Bodinus ſugillat.

16. Nec Imperatoris authoritatem ullatenus Daniæ Reges agnoſcunt, ſed ab

ea in univerſum exemti ſunt. Fruſtra ad Petri Daniæ Ducis exemplum provocatur, qui graviſſime eo facto peccavit, ac cujus pacta, quod contra Leges eſſent, nullius omnino valoris fuerunt. At ob Holſatiam Imperio ſubſunt tanquam Holſatiæ, id eſt, Imperii Duces ac Principes. Neque enim hoc Majeſtati repugnat. Ita Angliæ Reges ob Normanniam & Aquitaniam, in clientela Francorum. Ita Carolus V. quamvis ipſe Imperator, quatenus Auſtriæ Dux, Imperio ac ſibi ſubfuit. Hinc ejus ad ſeipſum literæ & mandata: *Nos Carolus V. Imperator mandamus tibi Carolo Archiduci Auſtriæ.*

17. Summa Daniæ mari potentia eſt, terrarum ſitu, ac gentis per tot ſparſæ Inſulas, veteri aſſuetudine. Inſuper clauſtra Sundenſis freti & anguſtiæ, obnoxiam Danis cunctam Baltici maris navigationem reddunt, quam tamen ipſi amicis ac fœderatis ſuis, quos inter præcipui Belgæ, comiter pandunt.

18. Iſlandis antiqua morum ſimplicitas conſtat, niſi qua peregrinitate corrumpuntur. Tales illi per Italiam Aborigines, quibus ſpeluncæ, habitacula; ſponte nata, epulæ erant. At ex Anglia & Dania eò delati mercatores, ſimul tranſmarina inferunt vitia. Hinc Lycurgus Spar-

tam

tam ſuam peregrinis inacceſſam ac mercatoribus voluit. Eadem Nerviorum ratio, de quibus Cæſar.

19. Hodie Sereniſſ. Rex FREDERICVS III. poſt Patrem glorioſæ memoriæ CHRISTIANVM IV. tanto Imperio potitur. Cui in hoc ſummæ poteſtatis primordio, fauſtiſſima, etiam exteri & in Gelriam ſepoſiti, precamur: SIT FELICIOR AVGVSTO. MELIOR TRAIANO. PROBIOR TACITO.

DISSERTATIO XXI.

De Imperio HVNNORVM.

1. IMPERIVM HVNNORVM, ſi non duratione, ſaltem extenſione, cum maximis in orbe comparari poteſt, ab extremis in Scythia hominum Iughris Hunniſque, uſque in Galliam & Italiam, ſub Attila extenſum: quæ vaſtæ dominationis moles cum morte ejus defeciſſet iterum, ſucceſſere Hungari, Ugrorum propago; qui tredecim regnis in unum Imperium compactis, per aliquot ſecula glorioſe regnarunt, donec à Turcis magna parte exuti, ſub alienum ſceptrum devenirent, multum imminutis viribus.

2. Origo hujus tam celebris gentis ex Aſia

Aſia interiore eſt. Quicquid olim Scythæ ſuo nomine complectebantur, id poſterior ætas Hunnos primo, dein Turcas Tataroſque appellavit. Clare Simocatus apud Euſtathium in περιηγητὴν teſtatur; Hunnos à Perſis Turcas appellatos. Et Cedrenus: Τούρκων ἔθνος γένος μὲν ἐστὶν Οὐννικόν. Quod Iohannes Curopal. & Zonaras repetunt. Ammianus XXXI. in univerſum; *Hunnos glacialem Oceanum accoluiſſe*. Una igitur olim gens Hunni & Tatari, quod patet tum ex Perſarum Hiſtorico Emirkhond plurimis in locis; tum ex nomine; utrique enim ſe Magoros appellant.

3. Quænam autem gens hodieque in Aſia Hunnorum & Hungarorum linguam retineat, diverſæ opiniones ſunt. Baro Herberſtein in Moſcovia ſua *Iuhros* Hungarorum patres facit, & una cum illis etiamnum lingua uti. Rubruquis, cui plurimum in rebus Tataricis tribuimus, tradit trans Volgam ad Septentrionem eſſe regionem *Paſcatir*, ex qua orti ſint Hunni atque Hungari. Nam eandem Paſcatirarum linguam & Hungarorum eſſe. Juguros autem, qui Mogalis & Tataris vicini ſint, diſtingui à Paſcatiris.

4. Egreſſa ſunt ex Boreali illa Scythia Hunnorum decies centena & octuaginta mil-

millia ſub ſex Ducibus, quos inter Athila fuit. Cauſa migrationis, ſoli ſterilitas ac hominum multitudo. Primo Gothos ſedibus ſuis ex Taurica ejecerunt. Eos inſecuti, ac Romanis cruento prælio ſuperatis, Pannoniam occuparunt circa A. Ch. cccc.

5. Regia jam apud Hunnos Majeſtas florere incipit. Primus Hunnorum Rex Ethele, quem Attilam vocamus, electus. Nam hactenus in centum octoginta tribus more Scythico diviſi, unum aliquem Imperatorem, cuncti inter ſe pares, non agnoſcebant. Attila, extinctis Ducum reliquis, animo ad res maximas gerendas præclaro, evertere Imperium Romanum & ſummam in Occidente poteſtatem ad ſe transferre aggreſſus eſt. Videbat ſagaciſſimus Hunnorum Imperator, nihil in Honorio & qui ſucceſſit, Valentiniano III. præſidii, Gothos, Suevos, Vandalos, Longobardos, aliaſque gentes rapere paſſim Provincias & velut prædam occupare. Conſpirabant ſimul in ruinam Romanorum cum Hunnis Gepidæ, Gothorum pars, & pleræque per Germaniam Scythiamque gentes.

6. Ita bello decreto, immanem quingentorum millium in Gallias exercitum duxit. Quippe ita ſtatuebat, exercitatos

in armis Romanos, non virtute, ſed numero, opprimi poſſe. Quam bellandi rationem omnes fere Scytharum nationes, & hodieque Turcæ ac Tatari, ſequuntur, nec alia tantorum apud eos Imperiorum & tot victoriarum cauſa, quam quod innumerabili cum exercitu, quicquid ſe opponit, non tam vincant quam obterant.

7. Pauci pro tanto numero pedites. Impellendis enim conturbandiſque adverſis aciebus, efficaciſſimum ſemper putavit Attila equorum impetum. Quod ubi ingens equitatus, & in patentibus campis, conceditur: In univerſum, majus in pedite robur.

8. Neque ſuis tantum confiſus Attila viribus, conſilio etiam & aſtu Valentinianum aggreſſus eſt, ſimulando non Romanos, ſed veterem hoſtem Gothum, à ſe peti. Ut diſſociatos minori negotio ac per partes, opprimeret. Exercitum etiam pacato agmine, conciliandis Provincialium animis, per Germaniam traduxit. Sed ſenſit fraudem Imperator. Ita res ad atrox in Catalaunicis campis prælium devenit. Attila, ſumma circumſpectione, circa veſperam demum aciem auſus fuit, ut ſi vinceretur, nox prælium dirimeret; & caſtra curribus undique obvallavit; quæ in receptum fugientes Hunni ha-

habuerunt. Utrumque conſilium haud dubie ſalutare ipſi fuit, ne internecione exercitus deleretur.

9. Nihil æque admiratum eum ferunt quam balliſtas quibus grandiores lapides excutiebantur, & eas ut injuſtum genus armorum deteſtabatur, quod integros ſæpe militum manipulos proſternerent. Frequens multorum hodieque in bombardas & tormenta ignivoma, querela eſt, ſed iniquior. Nam ſi juſtum bellum eſt, quavis arte & quibuſcunque machinis, in hoſtem graſſari licet.

10. In obſidione Aquileiæ graves commiſit errores, & parum abfuit, quin una urbs, tot gentium victorem exercitum, conſumeret. Nam obſtinato animo uſque in triennium ad eam conſedit. Hinc fames in caſtris, & ſæva peſtilentia, ac tumere miles, fremere, denique ſeditionem moliri. Crebro ſummi Duces obſtinatione ſua in obſidionibus vehementer impingunt. Sic Alexandrum Tyrus, Spinolam Oſtenda, & proximis his annis Brinna, Friburgum, Auguſta, Suedos quanquam campo victores, nimia temporis militumque jactura, attrivit.

11. Nec fides adhibenda illis, qui ab omni alienum humanitate Attilam fuiſſe tradunt. Certe Romanorum Græcorum-

que Duces etiam virtutibus ſuperavit. P. Callimachus: *Supplicibus prope ad mollitiem facilis, & qui in fidem ſemel receptos, in perniciem uſque ſuam tueretur.* Plura de ejus virtutibus addit, & conſentiunt ſcriptores rerum Hungaricarum. Nam Romani cunctis à quibus ipſorum ambitio caſtigata, iniqui, parum fidei in talibus merentur, & quæ in Attila, tanquam atrocia notant, fratricidium, exciſam Aquileiam & alias urbes, juſtius in ipſorum Reges, Conſules ac Imperatores, retorqueri poſſunt.

12. Titulum quem vulgo Attilæ tribuunt, *Nemrothi nepos, educatus in Engaddi, Dei gratia Rex Hunnorum, Medorum*, falſum exiſtimamus & confictum. Primo enim, unde *Nemrôthi* notitia Attilæ? Deinde, quid abſurdius quam eum ſe ſcripſiſſe *Regem Medorum?* At nunquam ipſe in Media rerum potitus, quæ Imperii tum Perſici pars & obſcura eo nomine erat. PAVOR ORBIS & FLAGELLVM DEI, Scythica ferocia, ad terrorem ſeſe vocabat. Engaddi, niſi in Palæſtina, nulla.

13. Pleraque ipſi cum Timuro communia. Uterque ex Scythia cum innumerabili multitudine, ille in Orientem, hic in Occidentem fulminis & tempeſtatis inſtar,

ſtar, erupit. Eadem in belligerando celeritas, eadem erga dedititios clementia; ac ſi quis vim expectaret, rigor & internecio. Uterque ad ſummam ſenectutem pervenit: major tamen, ſi Scriptoribus fides, ætate Attila, quem centeſimo & vigeſimo vitæ anno demum extinctum volunt. Quippe cum poſt tot expeditiones nuptiis & vino indulgeret, ſanguinis copia extinctus, periit, pari cum Tamerlane fato, qui & ipſe in nuptiis filii ſui ob largas compotationes contracta febri, expiravit. Utriuſque Imperium ipſis ſublatis, velut capite deſtitutum brevi corruit. Nam Attilæ filii diſcordes Gepidis & Oſtrogothis occaſionem rebellandi dederunt, à quibus victi & Pannoniis pulſi: duce Chaba, in Scythiam repatriarunt.

14. Sed tria Hunnorum millia, quæ cladem evaſerant, in Daciæ montanis ſubſtiterunt. Utque odium vicinarum gentium mitigarent, pro Hunnis Siculos ſe appellarunt, id eſt, profugos ſive reliquias. Hoc enim *Sekel* Hunnica lingua ſignificat. Multa inter eos priſci moris veſtigia. Cuncti inter ſe pares & æque nobiles habentur. Ab omni tributo immunes, niſi quod Regi in publica interdum ſolennitate, viritim bovem pendunt.

15. Poſt CCC fere annos, id eſt A. Ch.

ↄcccxliv ſecunda Hunnorum in Pannoniam eruptio contigit. Septem eorum Duces, totidem exercitus erant. Primæ ipſorum in Tranſylvania ſedes, ubi ſeptem conſtituerunt caſtra, unde Germanis regio *Sibenburgen* dicta. Sub his Ducibus horrendæ illæ Hungarorum in Germaniam, Italiam, vicinaſque regiones, excurſiones contigerunt. Ac quamvis à Carolo Magno domiti, acrius ſub Arnulpho Imp. exarſere. Nulla horribilior in Germaniam Galliamque clades incubuit. Cum ne humanis quidem cæſorum carnibus ac ſanguine, odio Chriſtianæ Religionis abſtinerent. Et cauſam tantæ crudelitatis Lehel Ungarorum Dux à Conrado I. Imp. ad Auguſtam captus, his verbis ediſſeruit; *Humanorum ſcelerum ſumus ultores & ad ſupplicia veſtra à Deo editi: quum vos perſequi deſinimus, à vobis, irato numine, capimur & obtruncamur.*

16. Chriſtianam fidem primum Carolus Magnus Hungaris tradidit, ſed fluxam: mox enim defecerunt. Cauſa, quod inviti, armis coacti, eam ſuſceperint, *Geyza*, temporibus Henrici Aucupis præclariſſimum illud opus perfecit, Hungarorum Numa. Nam ferocem & æternis armis aſſuetam gentem primo omnium

pacis,

pacis,quas ignorabant, artibus, mitigavit. Ut prius homines eſſe inciperent, id eſt pacifici, quieti, antequam Chriſtiani. Incœptum opus *Stephano* filio Geyza reliquit. Qui Hungarorum Apoſtolus, etiam Sancti nomen, converſa tota Hungaria, & adactis, qui renuebant, armorum vi, retulit: ſed miſera ejus Eccleſiæ facies. Vix unquam vel Bellarmino & Baronio teſtibus, majores tenebræ quam illo ſeculo. Itaque extruere templa & ſacras veſtes conſuere, tum ſumma pietas; hiſque gradibus divinitatem Stephanus cum Emerico filio aſſecutus eſt.

17. Stephano *Petrus* ſucceſſit, quem Hungari intolerabilem Tyrannum appellant. Cauſa præcipua: quod Alemannorum moribus uteretur. Nimirum peregrinitas exoſa eſt, maxime in Principe. Ita Pſeudo-Demetrius graviſſime Ruſſos offendit, quod Polonum potius quam Ruſſum referret. Hinc Hungari Petrum hunc contemtim *Alemannum* appellarunt. Eventus hic fuit: Cum Petrus in Tyrannide perſeveraret, tertio regni anno ab Ordinibus abdicatur, ipſique *Aba* ſubrogatur. Id jure factum aſſerunt Hungari. Et reſponſum Henrico III. Imp. *Reges apud omnes gentes ſacroſanctos: Tyrannos tamen ſe tolerare non poſſe.* Sed

Aba mox ſordere Hungaris cœpit, quod ignobiles præferre optimatibus videretur. Hinc accenſa in Petrum, paulo ante omnibus diris devotum, ſtudia. Abas acie cæſus cadit, Petrus regnum ſummo populi applauſu recipit. Mox iterum à fide deſciſcere Hungari: ſed ab errore in viam revocati ſunt. *Bela* etiam primus vim acriorem adhibuit; & quotquot Hungarorum ad Idola colenda regreſſi ſunt, eos ad unum interfici omnes juſſit.

18. Ita ſuperſtitio in totum abolita, & Hungari fidem Chriſtianam, qualis corrupto illo ſeculo, conſtanter retinuerunt. Crevit quoque ab eo tempore potentia, cum S. *Ladiſlaus* I. Regum octavus Dalmatiam Croatiamque à Zelomiro ultimo ejus gentis Rege ſorori relictam, ab ea liberis orba, accepiſſet. Circumlata hinc in Chunos, Roxolanos, Polonos, glorioſa arma, cum *Andreas* quoque ſacræ in Palæſtinam expeditionis Dux Abubecrum filium Ajobi cognomine Seifeddinum Ægypti Sultanum caſtris exuiſſet, Damiatamque expugnaſſet. Sed illius quoque expeditionis eventus triſtis fuit. Chriſtiani acie victores & obſidione, à Nilo ſuperantur. Nam quod in bello gerendo præcipuum momentum affert, vel rudes incrementorum Nili, vel incurioſi

erant,

erant, quem errorem poſtea denuo ſub Ludovico ſancto R. Galliarum, eodem damno, errarunt. Reddita igitur Soldano, pretium belli, Damiata: Andreas vero carbones pro theſauro in Hungariam reportavit, nimirum reliquias, caput S. Stephani, & Margarithæ virginis; dextras B. Thomæ ac Bartholomæi Apoſtolorum; partem quoque virgæ Aaron & unam de ſex hydriis Canæ Galilææ. Addit Bonfinius, crucis partem à Soldano (qui tum fuit Muhammed filius Seifeddini, cognomine Naſireddin) Andreæ traditam. Id eſt ligni, quod ad ſanctitatis opinionem alii virgæ Aaronis, alii crucis partem, appellarunt.

19. Secuta immanis Regni Hungarici ſub Bela IV. vaſtitas. Cujus quidem cauſa non tam Tataris, quam ipſi Belæ adſcribenda eſt, inter quem ac Hungaros ingens odium ex quinque cauſis nata eſt; I. quod Comanos à Tataris ex Scythia minore pulſos, cum Rege ipſorum Kuthene, gravi Hungarorum damno, in regnum recepiſſet. II. quod Barones oppreſſiſſet. III. quod ſuperiorum Regum largitiones in bene meritos, revocaſſet; IV. quod juſtitiam male adminiſtraſſet. neminem ad ſe admittens. V. quod Comanos exteros in omnibus rebus Hunga-

ris præferret. Ex his cauſis peſtilens inter Regem ac ſubditos nata diſcordia eſt, quæ ut M. Rogerius recte obſervat: *præcipuus fomes fuit, quare Hungaria ſic velociter eſt deſtructa.*

20. Tatari circa A. Ch. cIↄ cc ex ultima progreſſi Scythia, ſub Chinguis Chan formidabile Imperium conſtituerunt. Qui diſtributo inter filios toto orbe, regionem Deſt, Usbek, cum omni Occidente Tuxyo aſſignavit, cui Badu ſucceſſit A. cIↄ ccxxxvII. Is ſtatim expeditionem Occiduam aggreſſus, Comaniam, Ruſſiam, Poloniam, Sileſiam, ſed maxime Hungariam, velut tempeſtas quædam Martia & internecio gentis humanæ, vaſtavit. Non deerat Belæ reſiſtendi animus; affectu popularium & benevolentia carebat. Frequentes referebant nuncii, Tataros adventare jamque portæ Ruſſicæ imminere. Nemo credebat odio Regis & Cumanorum. Denique potiuntur Tatari clauſtris illis regni Hungariæ & omnem regionem multitudine ſua inundant. Hungari cum res jam ad ſummum deducta eſſet periculum, Kuthenem Regem Cumanorum in tumultu cædunt; Cumani, ea cæde irritati, Tataris ſe conjungunt, Rex Bela, ab exercitu ſuo deſertus & proditus, ingenti clade proſternitur.

tur. Tota Hungaria perit. Omnia loca cadaveribus, cruore fœda. Tatari primo cunctos quos reperire in vaſtiſſimo regno poterant, interficere, tum ſpoliare ac diruere urbes. Triennium ea Hungariæ internecio duravit. Succeſſit peſtilentia ex fœtore putreſcentium corporum; & fames ex vaſtitate agrorum.

21. In hoc Tatarico regni Hungariæ excidio WARADINVM quoque everſum fuit. Quæ urbs, Comitatus Bihorienſis princeps, à Ladiſlao I. cognomine ſancto, circa A. CIↃ XC. fundata, ejuſque & multorum Regum ſepultura nobilis, propugnaculum totius Hungariæ contra Turcas longè munitiſſimum, & à quo ſalus regni, ſecundum Deum, pendet. Amœniſſima ſitu, ad Orientem montes perpetuis ſcatentes rivulis & urbem per omnes plateas irrigantes, tum thermas uſque ad miraculum ſalubres habet. Regimen ejus ex Democratia & Ariſtocratia mixtum cenſetur. Sua nobiles jura, ſua quoque ſeparatim cives & gubernationem peculiarem habent.

22. Nec felicior fere ſub *Ladiſlao* IV. Hungaria, quam ſub Bela fuit. Rex totus Cumanis adhuc gentilibus addictus, *Chuni* exinde nomen obtinuit. Hinc odia in eum atrocia, quæ ſuis ipſe flagitiis exaſpe-

aſperabat. Tatari, commune orbis flagellum, denuo Hungariam irrumpentes, A. cIↃ cc lxxxv horrendam ſuperiorum annorum ſtragem renovarunt. Ab eo tempore cœpit Hungaria magis magiſque declinare. Ingens ſub Ladiſlao inopia. Defecerant cunctæ continuis direptionibus opes: ne jumenta quidem, trahendis plauſtris, reſtabant. Unde bigæ, quas homines trahebant, *currus Ladiſlai*, odio ejus, dicebantur. Civilium id in Hungaria bellorum initium, quæ diu, magnis cladibus, durarunt.

23. Antiquam autem gloriam ac potentiam ſub *Carolo* I. recepit, qui longe lateque imperans, Dalmatiam, Croatiam, Romam, Serviam, Galatiam, Lodomeriam, Cumaniam, Bulgariam, Ungariam, Salernum, Imperio tenebat. Et in hoc faſtigio uſque ad *Sigiſmundum* perduravit, qui primus (poſt breve Ottonis Bavari regnum) ex Germanis Hungaria potitus fuit. Tum enim poſt fatale ad Nicopolin prælium Turcarum armis continenter exercita fuit; & quanquam toto bello nunquam inferior, ingentem tamen provinciarum jacturam fecit. In illa Turcici belli graviſſima tempeſtate, Johannes Corvinus HVNIADES, velut ſalutare ſidus emerſit, cujus incomparabili virtute con-

contra barbaros invicta ſtetit Hungaria. Malam tamen tanto Heroi gratiam *Ladiſlaus* V. retulit, contra fidem datam Ladiſlaum filium ejus capite plectens, & in cuſtodia detento Matthia fratre. Qui mox, divina providentia ex carcere ad regnum vocatus, Hungariam victoriis, orbem fama nominis ſui implevit, Regum omnium quos Hungaria habuit feliciſſimus & maximus, Auſtriæ, Moraviæ, Sileſiæ, Luſatiæ, & tot aliarum gentium domitor. Cum quo omnis Hungariæ gloria extincta eſt, Turcis, maxime dum *Ferdinandus* & *Iohannes* de regno contendunt, potiſſimam ejus partem occupantibus.

24. Quanquam vero Turcarum per Hungariam potentia longe lateque propagata ſit; totam tamen nunquam ſubigere potuerunt, ſed manet manſuraque eſt Dei benignitate propugnaculum contra immanes Chriſtiani nominis hoſtes validiſſimum. Imprimis Transylvania, quæ peculiarem hodie principatum conſtituit. Prima ejus fundamenta A. cIↃ IↃ LXXI. *Stephanus* Bathorius, poſtea Poloniæ Rex, poſuit, cui ordine ſucceſſerunt *Chriſtophorus*, *Sigiſmundus*, *Bathorii*, *Stephanus* Botskai, *Sigiſmundus* Rakoczi, *Gabriel* Bathorius, *Bethlen* Ga-

bor, *Georgius* Rakoczi, quo ſuperiore anno, poſt aſſertam Eccleſiis & regno victricibus contra Cæſarem armis libertatem, glorioſe defuncto, filius *Georgius* Rakoczi, tanto dignus patre, Tranſylvaniam moderatur. Cui omnes fauſta acclamatione, vitam diuturnam, victorias contra hoſtes, domi pacem, ex animo apprecamur.

25. Quanquam vero olim regnum Hungariæ fuerit ſucceſſivum, poſtea tamen electivum factum eſt; eumque morem adhuc conſtanter retinet. Libertatem infractam Rex Andreas A. cIↃ cc xxII. reſtituit, decreto in eam rem edito, cujus clauſula eſt: *Facultas data regnicolis ad reſiſtendum Regiæ Majeſtati, ſi contra ſtatutionem ſuam fecerit.* Palatinus omnium regni privilegiorum cuſtos eſt, & ipſius Regis Judex, ſimilis Juſtitiæ Aragonum. Quo temperamento nihil in regno, ad frenandam Imperantium dominationem, ſalutarius. Hinc A. cIↃ IↃ c vI. inter alia cautum fuit: *Vt Palatinus à regni ordinibus eligeretur.*

DIS-

DISSERTATIO XXII.

De Comitatu NASSOVIÆ.

1. AB antiquiſſima ad fluvium Lonam arce *Naſſau*, nomen Comitatus Naſſoviæ, Princeps inter Germanicos ducit. Nam quod nonnulli Naſuam Suevorum Ducem, cujus Cæſar meminit, velut conditorem Naſſaviorum, producunt, nimis putidum & vanum eſt.

2. Tempore Henrici Aucupis nomen Comitum illorum inclareſcere cœpit, circa A.Ch. Iↄcccc xxx. Otto ejus nominis I. claram ſibi Hungaricis bellis famam paravit. A quo tempore maximis admoti expeditionibus in Gallia, Bohemia, Hungaria, Syria, ſunt: Walravus ſub Ottone I. Robertus & Arnoldus ſub Henrico IV. & alter Robertus ſub Frederico Barbaroſſa in Syriam profectus, contra Juſephum filium Ajobi, cognomine Saladinum, qui primus poſt Fatimidas, defuncto Mahmudo Nureddino, Ægypto & Syria potitus fuit, magnas ad Ptolemaidem, Tyrum, & alibi res geſſit.

3. Hæc antiquis temporibus bello à Naſſoviis parta decora. Non minora pacis artibus: tot Provinciæ, Imperium, Duca-

Ducatus, præfecturæ, in eos certatim ob ſingularia merita, collata. Otto II. primi nepos, flagranti apud Henricum IV. gratia, cum uxorio nomine Zutphanienſem teneret Comitatum, & præfecturam Gelriæ, Comes Gelriæ A. Ch. cIↃ LXIV. in Francofurtenſibus creatus eſt Comitiis. A quo tempore conjuncti Gelriæ Zutphaniæque Comitatus, ex Naſſovia domo, per annos fere CCC XX. Principes ſuos Duceſque acceperunt Gerhardum I. Henricum, Gerhardum II. Ottonem II. Gerhardum III. Ottonem III. Reinaldum I. Reinaldum II. qui ducum primus, Reinaldum III. & Edoardum. Poſt quem Ducatus Gelriæ à Naſſoviis ad Juliacenſes, Egmondanos, Burgundos devenit.

4. Inter Naſſovicos autem Comites *Henricus* II. cognomine Dives, eminuit. Qui ſolus, ampliſſimis potitus ditionibus; Naſſoviam, Dilleburgum, Beilſteinam, Weisbadam, Weilburgum & Idſteinum tenuit circa A. Ch. cIↃ CCL. Cujus duo filii: *VValramus* & *Otto* III. diviſo Principatu, varias Naſſoviorum familias, Weisbadenſem, Idſteinenſem, Weilburgenſem, Saropontanam, Dilleburgenſem, Bredanam, Auriacam & alias produxere. Habet hoc incommodi Germaniæ Principum mos, quod Provincias

atque

atque Dynaſtias haud ſecus quam privatæ ſortis hæreditatem dividant. Unde diviſæ inter agnatos ſingularum familiarum opes, ingentium titulorum magnitudinem ſæpe non æquant. Ita ex uno Principatu armis opibuſque gravi, complures natæ ditiones, affectu quoque & religione diſpares, ingenti quidem Principum numero Germaniam beant: eam tamen, diſſipatis viribus atque diſtractis, debilem atque exanguem reddunt. Saxonia hoc pacto antiquam gloriam & robur perdidit. Cui malo ut obviam irent aliæ gentes, abrogata Imperiorum, Regnorum atque Principatuum diviſione, ſolum primogenitum ſummæ rei ſuccedere voluerunt; cæteris præfecturæ & minores ditiones datæ. In Anglia imprimis mos ille tenet; quanquam non ubivis. Apud Cantios enim avitæ, id eſt, Saxonicæ libertatis tenacioribus, ex æquo, omnes liberi hæreditatem adeunt, quæ lex *Gavilkin*, corrupta voce, appellatur. Alibi non primogenitus, ſed ultimo natus in univerſum ſuccedit. Nobis potior pro primogenito, ratio videtur.

5. Sed maximum Naſſovicæ domus incrementum atque gloria *Adolphus*, Henrici II. Divitis, ex Walramo filio nepos fuit. Qui inter omnes Germaniæ Prin-

Principes virtute ac fortitudine ſummus, defuncto Rudolpho I. Habſpurgenſi, IMPERATOR electus fuit. Nam eo ævo ſola virtus ſpectabatur in Imperatore; unde, omiſſis potentioribus familiis, Comites ſæpe exigua potentia, Habſpurgenſis, Naſſovius, Schwartzenburgius, Imperio admoti. Deinde, Electores quo minor Imperatoris potentia foret, eo ſe majori præditos authoritate videbant ad ipſum in officio continendum, reſque ſuas augendas. Ac ne Imperium ullo modo hæreditarium videretur, ex una in aliam familiam id tranſtulerunt. Moguntinus imprimis Adolpho favebat; alii autem Albertum Rudolphi filium, Auſtriæ Ducem eligebant. Ita diſcordia inter Electores ac in Imperio. Prævaluere tamen Adolphi partes, qui Aquiſgrani coronatus, æmulum ſuum armis perſecutus, Alſatia pepulit. Ac quamvis ad tempus Auſtrius cederet, mox tamen invidia tortus, criminari Adolphum, ipſique bellum inferre. Prætextus varii erant, ſed vera cauſa, Alberti ambitio. Acceſſit Philippus Pulcher Galliæ Rex, qui auro & Adolphum & Albertum, ut bello Germania diſtraheretur, clam inſtruxit. Inferioris Germaniæ Principes, atque etiam Gelriæ Comes Reinaldus I. Albertum; Palati-

nus,

nus, Bavarus & Civitates Rhenanæ Adolphum ſequebantur. Prælium in agro Wormatienſi commiſſum. Victus fuit Adolphus, non tam virtute hoſtis ſui, quam quod adverſum Solem haberet, flagrantiſſimo tum æſtu: occiſus etiam Alberti manu, quod temerario auſu in medios ſe immiſiſſet hoſtes. Obſervata in hoſtes Adolphi, numinis vindicta. Omnes enim qui belli atque etiam cædis authores extiterant, paulo poſt violenta morte extincti: ipſe Albertus à Johanne fratruele interemtus; rapti per vim Imperii pœnas luit. Sed gravior pœna Auſtriacorum in A. Ch. cIↄ Iↄc dilata fuit, quo anno, 2. Julii, id eſt, eadem die, qua inter Adolphum & Albertum ante CCCII. annos debellatum fuerat, Mauritius Naſſovius velut manes Adolphi ulturus, Albertum Archiducem Auſtriæ ad Oſtendam atroci prælio ſuperavit. Nimirum mirabiles providentiæ divinæ vices ac anfractus ſunt, quæ peccata majorum in poſteris etiam perſequitur.

7. Ac quaſi jam tum præluderet futuræ Naſſoviorum per Belgium magnitudini, *Engelbertus* ſub Carolo Burgundo imprimis inclareſcere cœpit, nuptiarum inter Mariam atque Maximilianum Auſtrium præcipuus conciliator, quod conju-

jugium haud dubie Auſtriacis gradum ad vaſtam illam potentiam ſtruxit. Is primo Flandriæ, mox ſub Philippo totius Belgii Pro-Princeps fuit: cui in Belgica *Henricus* Patruelis, cognomine Dives; ei *Renatus*, Aurantiæ primus ex Naſſôviis princeps, huic GVILIELMVS illuſtriſſimus Belgicæ libertatis vindex, ſucceſſit. Qui ſanguinolentis Philippi edictis ſeſe opponere auſus, ejus Reipublicæ fundamenta jecit, quæ per univerſum orbem potentiſſima eſt.

8. Guilielmus igitur, cum ſuaſu Cardinalis Granvellani Philippum novas in Belgio contra Religionem & Libertatem res moliri videret, & immanes paſſim cædes ab Albano aliiſque Tyrannis edi, ſeque exitio deſtinari, Belgarum res armis aſſerere cœpit, ac contra Hiſpanicam Tyrannidem defendere. Quo bello nullum unquam juſtius fuit. Quippe Hiſpani omnia & divina & humana jura violaverant, Philippus manifeſtum ſeſe Tyrannum exhibebat. Ordines, ne Reip. deeſſent, ſuaſu Auriaci arma cœpere, edicta cruenta, ac cum nihil ab atroci animo remitteret, Philippo principatum abrogavere.

9. Hujus conſilii præcipuus author ſuaſorque Guilielmus. Is enim exiſtimabat,

bat, non poſſe ullis iterum conditionibus Philippum recipi. Non fidei, non promiſſorum rationem haberi, præſertim ſtante horribili illo placito: *Hæreticis non eſſe ſervandam fidem.* Ergo obedientiam Philippo renunciandam, & alium Principem eligendum eſſe. Id quod etiam anno cIↃ IↃ LXXXI. factum, ac haud dubie ſalutare Belgis fuit.

10. In locum Philippi ejuſdem Principis ſuaſu *Franciſcus* Andium Dux electus fuit. Cauſa duplex; & quod potens, & quod conjugium inter ipſum ac Elizabetham ſperaretur. Poſterius hoc vanum: prius prævaluit. Exiſtimabat ſagaciſſimus Princeps, Belgium, exuta Philippi obedientia, non in aliis potius quam Gallis præſidium collocare poſſe, ob æmulationem illarum gentium & invidiam Hiſpanicæ potentiæ. Præſertim cum ſpem regni Andinus, nulla ex Henrico III. ſobole, haberet. Vocatus igitur certis conditionibus in Belgium & Princeps ſuſceptus, forentiſſimo frui potuiſſet Imperio, niſi à quibuſdam ſeductus, Tyrannidem, clandeſtina conſpiratione, affectaſſet. Eſt hæc pernicioſiſſima aſſentatorum, omnis veræ Politicæ expertium, ars, qua Principi ſuadent; *Vt leges patrias tanquam pugnantes cum abſoluta poteſtate,*

ſtate, violet, & pro arbitrio ſuo imperet. Longe aliter maximi ſenſere viri, & bono publico nati, imprimis Naſſovii, & omnium nomine Wilhelmus Ludovicus Friſiæ & Groningæ Gubernator, de quo ita Emmius: *Principes eos improbabat, & non iniquos ſolum, verum etiam inſipientes judicabat, qui tum contra æquum, tum contra morem ac inſtituta majorum conditionem libertatis populorum ſuorum premerent, atque ita illorum amore ſeſe exuerent. Principatum ajebat firmiorem ſine dubio eſſe, quo ſubjecti gauderent quam quo gemerent; vereque infelices eſſe Principes, qui quemadmodum metuuntur à ſubditis; ita eos viciſſim metuunt. Peſtes autem publicæ rei eſſe affirmabat Principum Conſiliarios, qui ut acceptos ſe iis præſtent ac deſideriis eorum ſerviant, leges, jura, contractus, pacta, conventa, ſecundum deſideria illorum ſubtiliter interpretantur, factaque Principum ſuorum, etiam juri, legibus, contractibus, pactis, adverſa, tuentur.*

11. Quæ, omnis Principatus fundamentum ſtabile ac firmum, cum non obſervaſſet Andinus, & ſe & Belgicam ferè in exitium præcipitavit. Nam deſerti ab eo Ordines, Remp. ad Anglos transferre coacti fuerunt, ſub quibus res infelici-

ter ſucceſſêre, & magnâ ubique clades accepta.

12. Secuta Guilielmi Auriaci A. CIↃ IↃ LXXX. proſcriptio. Philippus cum invictum armis & conſiliis cerneret Principem, ad turpes converſus artes, ſicarios in eum, per ampliſſima præmia, concitare cœpit, hæreticum, perduellem, Cainum, Judam, appellans. Repoſuit Auriacus Apologiam graviſſimam, commemorando Naſſoviorum in Hiſpanos merita, accuſando Philippum, & ipſius quoque ſublatam beneficio Iſabellam uxorem, Regis Chriſtianiſſimi ſororem, objiciendo; ut uxore legitima extincta, inceſtuoſum cum ſororis filia conjugium contrahere poſſet. Sed prævaluit Philippi propoſitum, & repertus ſicarius qui venalem manum animamque, nefando parricidio, accommodaret.

13. Tantus Heros, cum potentiſſimo Regi per XVII. annos varia fortuna reſtitiſſet, ejus ſcelerata fraude, immiſſo percuſſore interemtus, æternam Belgis memoriam meritorum ſuorum, Philippo immaniſſimi parricidii dedecus, reliquit. Exiſtimabant Hiſpani, ſublato Auriaco nihil auſuros reliquos: ſed ſpes improba vehementer eos fefellit. Quippe Naſſaviorum fœcunda domus, atque ipſius Au-

riaci

riaci præclara ſoboles, cœptum à parente contra Hiſpanos bellum, ſumma animi magnitudine, nec minore ſucceſſu continuarunt. Ita flos ille Ducum MAVRITIVS, ac tam longi animus belli FREDERICVS HENRICVS Naſſavii Rempublicam Belgarum ex anguſtis rebus atque afflictis, ad ſummam deduxêre, Deo adjuvante, Majeſtatem, quam pacis artibus hodie exornat GVILIELMVS II. Auriacus. Ut quantum Scipionibus ſuis Roma: tantum Naſſoviis fœderatum Belgium debeat.

DISSERTATIO XXIII.

De Ducatu CLIVIÆ.

1. AD utramque Rheni ripam, partim in Gallia, partim in Germania, Ducatus Cliviæ jacet, veterum Sicambrorum, Ubiorum & Gugernorum ſedes, Provincia Romanorum caſtris, præſidiis, atque exercitibus clara. Ibi enim Batavorum inſula, Vetera, Gelduba, Caſtra Ulpia, Colonia Trajana, Auguſta Clivorum & alia Scriptoribus memorata occurrunt. Qui rerum Status duravit uſque ad tempora Honorii. Nec minus armis quam literis excultus ille tractus, ac ſub Diocletiano & Maximiniano, in Auguſto Clivio-

Clivorum oppido illo ſeculo eloquentiam docuit celebris Rhetor Eumenius.

2. Romanis circa annum 420. Franci ſucceſſerunt, ex intima Germania ſub Pharamundo ad Rhenum progreſſi, novo regno condito, cujus quanta pars Clivia fuerit, exinde colligi poteſt, quod Clodius ſecundus Francorum Rex, regiam ſedem Duisburgi, inter Angram & Ruram, ad Rhenum collocarit. Niſi tamen id de Duisburgo Zutphanienſi intelligere malis. Quicquid ſit, conſtat has regiones antiquam terram Salicam, ſive primum Francorum regnum fuiſſe.

3. Non diu tamen in his ad Rhenum oris commorati Franci; univerſam Galliam occuparunt, tranſlata in urbem Pariſiorum Regia ſede. A quo tempore Clivia præfectos habuit, quorum primus circa A. C. 713. fuiſſe refertur Elias Grajus, quem alii Ælium Gracilem vocant. Sed ut antiquiſſima plerumque fabuloſa ſunt, ita hunc Eliam cum ſuo cygno, ſponte ſilentio tranſmittimus, veritatis potius rationem habentes quam vetuſtatis. Id certum Theiſterbandiæ comitatum, præter alias regiones, ipſam quoque Cliviam ambitu ſuo complexum, à cujus Comitibus non Cliviæ tantum, verum etiam Hollandiæ, Gelriæ aliarumque

regionum Principes, originem ſuam ducunt.

4. Habuit ſuos Clivia primum Comites, deinde Duces. Comitum longo ordine numerantur novem & viginti, omnes ex familia, ut volunt, Eliæ Graji, quorum ultimus Johannes, in quo anno 1638. 19. Novembris maſcula ſeries defecit. Hinc longa malorum ſeries, & de Clivia diverſi vario prætextu certarunt, Otto Arculanus, Theodoricus Hornanus, & Adolphus Marcanus. Qui ultimus armis ac ipſo jure ſuperior fuit, quoniam Mater ejus adhuc ſuperſtes, Arculanorum vero dudum obierat. Præterea Theodorico Hornano, quoad feudum, proximior erat fratris filia filio ſororis. Poſt diuturnam contentionem interponente operam ſuam Johanna Brabantiæ Duciſſa, ita reconciliati diſſidentes, ut Arculanus & Hornanus certam pecuniæ ſummam acciperent, Clivia penes Adolphum ejuſque poſteros maneret.

5. Ita duo hi Comitatus Clivia & Marca, in Adolpho conjuncti, quem Carolus quartus Imperator ſolenni inveſtitura in jure ſuo confirmavit. Quæ conjunctio haud dubie ſalutaris fuit ad tollendas antiquas vicinorum Principum contentiones.

6. Huic

6. Huic Adolpho ſucceſſit filius cognominis dictus Prudens, qui multis præclare geſtis à Sigiſmundo Imperatore A. C. 1417. 3. Maji Dux Cliviæ in Concilio Conſtantienſi creatus fuit. Quippe exiſtimabat Cæſar, nihil eſſe quod magis deceat Imperatorem, quam bene de ſe & imperio meritos Principes novis honoribus ad majores dignitates evehere. Gravis inter Adolphum & Wilhelmum Ducem Montium controverſia ob telonium Kaiſerſwerdenſe fuit. Prælio commiſſo Clivenſes ferè ſuccubuiſſent, niſi Veſalia opportunum auxilium tuliſſet. Hâc victoria parta captus Wilhelmus, telonio, ut debebat, renunciavit. Quod cum olim ad Imperium ſpectaſſet, Adolphus, Albertus, Fredericus, Rupertus, Carolus quartus Imperatores oppignerarunt, tandemque omnino vendiderunt Wilhelmo Duci Montium. Qua ratione paulatim Imperatores omnibus ferè reditibus ſeipſos exuerunt, quod maximè ſub Carolo quarto contigit, quem propterea Maximilianus primus peſtem imperii vocare ſolitus fuit.

7. Non major Adolphi virtus in vindicanda Kaiſerſwerda, quam Gerhardi fratris ejus in illa à Ducatu Cliviæ abalienanda, levitas fuit. Quippe urbem,

 telo-

telonium ac integrum territorium, Archiepiſcopo Colonienſi 100000. florenorum vendidit, pretio, ſi illa tempora reſpicias, ſatis grandi, ſi rem ex utilitate publica metiaris, ingenti cum ſuo ac Provinciæ damno. Nihil enim damnoſius Reip. quam partem ejus qualemcunque abalienare. Pecunia brevi conſumitur, nec radices habet ut renaſcatur, territorium immobile ac perpetuum durat.

8. Hoc damnum Adolphus multis modis compenſavit, aucta undique Clivia. Nam A. C. 1399. Suſatum, in quod hactenus Epiſcopus Colonienſis jus prætendebat, in tutelam ſuſcepit, cum univerſo agro, quem Suſterboert vocant. Borda enim veteri germanica lingua regionem ſive tractum denotat, unde etiam Longobardorum vocabulum fluxit, non vero à Barbis vel ſecuribus ut vulgo putant. Acceſſêre poſt victoriam de Montenſibus, variæ ditiones ac municipia, imprimis urbs Embrica, Gelrici hactenus juris. Ita Adolphus vitæ & gloriæ ſatur, jam grandævus A. C. 1448. obiit.

9. Hunc excepit filius Johannes primus, cui perpetua & proſpera bella cognomen Bellicoſi fecerunt. Is cùm Gerhardo patruo ſuo A. C. 1461. in Ducatu Marcano ſucceſſiſſet, à Frederico tertio Impe-

Imperatore ſolenniter inveſtitus fuit. Pro urbe Suſato grave bellum & diuturnum contra Epiſcopos Colonienſes geſſit. Immiſcebant ſeſe ut moris, Pontifices Romani, jamque partes citaverat Nicolaus pontifex, quo interea defuncto, Calixtus ejus ſucceſſor non minori fervore pro Colonienſe nitebatur. Sed juſtior erat Suſatenſium atque Johannis cauſa quam ut ſeſe minis Pontificalibus terreri ſinerent. Quamvis enim magna illius ætatis ſuperſtitio eſſet, non tamen Principes credebant Pontifici aliquod in temporalibus jus eſſe, nec improbabant reſcriptum Philippi Pulchri Galliæ Regis, quod Bonifacio Octavo Pontifici in ſimili cauſa dederat: *Sciat tua Maxima Fatuitas nos in temporalibus nulli ſubeſſe.* Tandem A. C. 1449. finitum hoc bellum, & Suſati poſſeſſio penes Johannem manſit. Tota vero controverſia demum A. C. 1464. ita compoſita fuit ut Colonienſis Kayſerſwerdam, Bielſteinam & Fredeburgum retineret, Suſatum vero ac Santena Ducatui Cliviæ in perpetuum accederent.

10. Hæc domi & pro ſua Rep. Johannes. Nec minus Socios conſtanter ac fortiter defendit, unde natum ipſi bellum Monaſterienſe, Marcanum, & quod inter

hæc omnium præcipuum, Gandavenſe. Rebellis illa ab antiquo Civitas, arma tum induerat contra Philippum Burgundiæ ducem, cognomine Bonum, Johannis noſtri avunculum. Nec ſegnis ille, çum leƈtiſſimo equitatu, ſuppetias avunculo laturus, ſuburbana rebellium aggreditur, memorabili viƈtoria potitus, donec adventans Philippus, reliquias conficeret. Ita viam ſibi ſtravit ad conjugium cum Eliſabeta Johannis Burgundi filia, quæ deficiente maſcula progenie opulentam ipſi allatura erat hæreditatem. Ex hoc conjugio natus Johannes ſecundus patri anno 1480. ſucceſſit.

11. Hujus uxor Mechtildis Henrici Landgraviæ Haſſiæ filia, partem comitatus Cattemeliboci dotalem attulit, quam Johanni Naſſovio affini, certis conditionibus, vendidit. Fuit hic Johannes ſecundus ſatis acer Gelrorum hoſtis ac pro Maximiliano Imperatore contra Carolum Egmondanum arma non inglorius tulit.

12. Quartus Ducum Johannes tertius fuit, cognomine Pacificus, qui primus duƈta Maria, Ducatus Juliacenſis & Montium hærede, fundamenta jecit unionis celeberrimæ, inter tres potentiſſimos Ducatus, Juliæ, Cliviæ & Montium. His auƈtus

auctus viribus, cum Carolo Gelrorum Duce, de mutua provinciarum hæreditate, fœdus pepigit. Cujus generis pacta, inter Germanos principes, non infrequentia ſunt, quo titulo etiam Sereniſſimus Elector Brandeburgicus, his proximis annis, in Pomeraniæ jura ſucceſſit. Johannes in bello Monaſterienſi contra Anabaptiſtarum Regem Johannem Leidenſem ſtrenuam quoque imperio navavit operam, & filia Anna Henrico Octavo Angliæ Regi deſponſata, felix ſibi Princeps & pater videbatur. Quod poſterius eum fefellit. Nam & filiam Angliæ Rex brevi repudiavit, & filius Wilhelmus, ſe ac provincias ſuas propter aditam Gelriæ poſſeſſionem, in ſummas difficultates conjecit.

13. Hic Patri Anno 1539. in Clivia, Julia & Montibus, Carolo Egmondano in Gelria ſucceſſit. Cumque implacabilem ſibi propterea videret Carolum V. cum Franciſco Galliæ Rege, ducta ejus nepti Johanna, fœdus pepigit: in eum Cæſar, ex Africa reverſus ſtatim bello decreto, copias duxit & expugnata primo impetu Dura, in magnas redactum anguſtias, pacem petere his conditionibus coëgit, *ut tota Gelria decederet: fœderi Danico & Gallico renunciaret*. Ita anno

1543. pace provinciis reddita, Wilhelmus exornare Remp. ac augere omni modo cœpit, inter quæ opera, tria hæc præcipuè numerantur privilegia: de ſucceſſione filiarum, unione provinciarum & Academia Duisburgenſi, in quam erigendam, Pius tertius Pontifex Romanus anno 1562. conſenſit.

14. Sed jam ad periodum ſuam pervenerat prænobilis Ducum Cliviæ familia. Nam filius Wilhelmus natu major, Carolus Fridericus, ſummæ ſpei Princeps, in peregrinatione Italica & medio ætatis ac virtutum curſu repente extinctus, triſte ſui parentibus & luctuoſum provinciis deſiderium reliquit, veneno, ut volunt, & cujus multa indicia exſtitêre, ſublatus. Nimirum rectè judicant, qui peregrinationes Principibus periculoſas eſſe ſtatuunt. Ut vel eos omnino illis abſtinere, vel ſi tanta exteras gentes viſendi cupido incognitos ac diſſimulata familia, obire conſultum ſit.

15. Ita ſucceſſio ad Johannem Wilhelmum alterum filium Anno 1595. devoluta. Qui ingenio ſimplici quod variæ corporis ac animi ægritudines adeo debilitarunt, ut rebus gerendis impar eſſet. Ad quæ mala acceſſit ſterile conjugium, atque hinc novæ multorum ſpes,

qui

qui provincias ejus quocunque titulo ſibi deſtinabant. Extinctus Anno 1609. 25. Martii finem impoſuit familiæ comitum Marcanorum, quæ rebus in Clivia per annos ducentos & quadraginta ſumma cum laude præfuerat.

16. Quod igitur calamitoſum imprimis Reip. eſſe ſolet, de ſucceſſione Cliviæ, Juliæ & Montium, graves in imperio exortæ ſunt controverſiæ. Nam fuerunt, qui provincias illas ad Imperatorem devolutas eſſe dicerent. Ideo Elector Saxoniæ earum inveſtituram pro ſe & familia Wittikindea à Rudolpho Cæſare anno 1610. petiit & impetravit. Alii Sorores Johannis Wilhelmi legitimas paternarum ditionum hæredes eſſe aſſerebant.

17. Duas reliquerat Wilhelmus filias: quarum natu major Maria Eleonora Alberto Friderico Marchioni Brandeburgico, Duci Pruſſiæ: Altera, Anna, Philippo Ludovico, Comiti Palatino Neoburgico, elocata. Impetraverat autem à Carolo V. ut ſi nulla exſtaret maſcula proles filiæ pleno jure ſuccederent. Igitur nulla ſpe prolis ex Johanne Wilhelmo anno 1606. Johannes Sigiſmundus Elector Brandeburgicus & Wolfgangus Wilhelmus comes Palatinus, ille uxorio, hic materno

titulo, uterque conſenſu omnium, de ſucceſſione transegerunt, ac mortuo Johanne Wilhelmo, provincias indiviſas, junctim, donec de legitimo ſucceſſore conſtaret, adminiſtrarunt. Sed non diu durare potuit concordia, urgentibus jam imperii fatis. Nam Anno 1614. poſt Santenſem transactionem irritam, diviſi animis Principes, provincias diſtraxerunt. Neoburgicus evocatis ex Belgio ſub Spinola Hiſpanis; Brandeburgicus ſub Mauritio Naſſovio fœderatis Belgis, quiſque obvia oppida occuparunt. Interea exorto bello Germanico, Neoburgicus longe maximam provinciarum partem, ope Hiſpanorum invaſit, donec Anno 1629. inter eum & Georgium Wilhelmum Electorem Brandeburgicum, in viginti quinque annos, interventu Ordinum Belgii, controverſiæ ita componerentur, ut hic Cliviam, Marcam & Ravensburgiæ medietatem: Ille præter alteram ejus partem Juliam & Montes, obtinerent.

18. Ita Clivia ad Electores Brandenburgicos juſtiſſimo titulo pervenit. Quæ domus ab exiguis initio viribus, ad ſummam hodie potentiam pervenit. Quippe Fridericus Burggravius Noeribergenſis, empta à Sigiſmundo Imperatore Marchia, primus Electoralem dignitatem familiæ

miliæ ſuæ intulit,& ad poſteros propagavit. Qui ſingulari fortuna, tot aucti titulis ac ditionibus ſunt,ut terrarum amplitudine, omnibus in Germania Principibus ſuperiores ſint. Nam Fridericus V. titulum Pomeraniæ, conſenſu Friderici III. Imperatoris, Marchiæ conjunxit ac ſuperiorem Luſatiam à Poloniæ Rege accepit, quam tamen paulo poſt Georgio Bohemorum Regi, exceptis quibuſdam oppidis, conceſſit. Ad eoſdem poſt obitum Alberti Friderici, Ducatus Pruſſiæ, ſimulque jus in Cliviam & vicinas Provincias, pervenit. Tandem extincta ducum Pomeraniæ familia, ex veteri pacto, ampliſſimus ille ad Mare Balticum ducatus, juris Brandeburgici eſſe cepit;ſed ita ut majorem ejus ac meliorem partem Sueci retinerent, datis in compenſationem tantæ jacturæ Epiſcopatu Magdeburgenſi, Halberſtadenſi & Mindenſi.

19. Quanquam vero jam à multis retro annis ingens damnum bello Belgico & Germanico Clivia acceperit ac multum ab antiquo ſplendore opibusque defecerit: tamen nunc pace ubique parta, meliorem ſtatum ſibi non fruſtra pollicetur. Qui ut obtineri poſſit, neceſſe omnino eſt, eccleſias; ſcholas, ac totam omnino Remp. à vitiis quantum

 fieri

fieri poteſt emendari, & quod deeſt, ſuppleri.

20. Primo omnium vera religio propagari ac defendi debet. Nam religionem totius humanæ ſocietatis fundamentum eſſe exiſtimavit etiam Cicero. Quod imprimis de verâ intelligendum.

21. Non minus neceſſariæ ſunt Scholæ. Cum enim juventus totius Reip. ſeminarium ſit, quis dubitet quin Scholarum ſingularis ſit uſus & exacta neceſſitas? Adeo ut tum demum Reſp. ſit feliciſſima, in qua plurimi bonis literis exculti. Nam quod quidam thraſones aulici, literas ac eruditionem contemnunt, eamque noxiam eſſe proclamant, id Muſcoviticum, Turcicum & Barbaricum eſt.

22. Ad excitanda vero juvenum ingenia, publicis opus eſt Academiis. Qua occaſione merito accuſamus majorum noſtrorum negligentiam, vel potius infelicitatem temporum deploramus, quod in uſum trium ampliſſimorum Ducatuum, cum opibus abundarent, nullam tamen conſtituerint Academiam. Ac cogitatum quidem ea de re fuiſſe, oſtendunt privilegia Cæſaris ac Pontificis Romani, pro Academia Duisburgi fundanda. Cumque bella continua præclaris ejuſmodi conatibus interceſſerint, illis nunc

ſopi-

ſopitis, repetimus vota noſtra ac totius patriæ.

23. Ut loco armorum & militarium exercitiorum, quæ tot jam annis Europam afflixerunt, armato Marti inermes Muſæ ſuccedant, & aurea pax ſeculum ferreum tandem aliquando terminet. Hoc votum noſtrum, cui, nequid temere voviſſe videamur, rationes has ſubjungimus.

24. Cum omnium Rerumpublicarum communis finis ſit ſalus populi, cujus duæ omnino partes ſunt, quarum una corpus, altera animam ſpectat, conſequitur nullam Rempublicam hujus ſuæ intentionis poſſe reddi capacem, niſi literarum ſtudia inter præcipuas curas habeat. Nam quemadmodum Barbaries Eccleſiam pariter ac Rempublicam corrumpit: ita non aliud reſtat remedium emendandæ & Eccleſiæ & Reipublicæ, quam ſi juventus à teneris annis virtute pariter ac eruditione excolatur. Nullum enim diſcrimen inter Græcos ac Barbaros, quam quod illi literis exculti, hi earum rudes: atque hinc illorum imperium celebre, horum exoſum ac contemtibile.

25. Accedit etiam hoc, quod cum prudentia primas partes obtineat in vita civili, illá non alio faciliori modo obtineri

queat, quam per ſtudia literarum. Prudentia enim omnis ratione & experientia acquiritur, utraque eſt vel propria vel aliena. Propria longævam ætatem, ingentia pericula, labores inexhauſtos, innumeras difficultates, & uno verbo difficile experimentum requirit. Ad quæ omnia cum vix & raro unius hominis ætas ſufficiat, quis non videt à propria ad alienam, à diuturna ad brevem, à difficili ad expeditam recurrendum eſſe experientiam? Ea vero aliter quam per eruditionem literariam acquiri non poteſt. Quippe cum omnis eruditio verſetur in verbis & rebus, utramque partem illa ſola ſuppeditat.

26. Inter omnia prudentiæ politicæ acquirendæ media, nullum eſt efficacius quam hiſtoriarum cognitio, lux veritatis & magiſtra vitæ, in qua hoc præcipuè ſalubre ac frugiferum, omnis te exempli documenta in illuſtri poſita intueri: ut inde tibi tuæque Reipublicæ quod imitere capias, inde fœdum inceptu, fœdum exitu quod vites.

27. Hæc ſufficere poſſunt pro aſſerenda ſtudiorum in Republica neceſſitate. Porro cum eruditionis conſequendæ medium ſint Academiæ, ultrò quod ante diximus conſequitur, ad illuſtrandum Cliviæ

viæ Ducatum vix quicquam magis eſſe neceſſarium, quam ut more aliarum provinciarum Germanicarum Academia quoque conſtituatur.

28. Principes Germaniæ pro ſuo erga Rempublicam affectu ſinguli ferè in ſuis ditionibus Academias conſtituerunt, quarum hodie amplius triginta numerantur. Quid æquius quam illuſtriſſimum Cliviæ Ducatum ejus quoque prærogativæ ſe facere participem? Præſertim ab eo tempore, quo Sereniſſimus Elector tot terrarum Dominus, religionis veræ ſtrenuus aſſertor, etiam in has regiones indubitato jure ſucceſſit. Qui ſicut maximus literatorum fautor eſt & promotor, ita quin Regiomonto in Pruſſia, Francofurto in Marchia, etiam Academiam Cliventem adjuncturus ſit, nullatenus dubitamus.

29. Cui ſi & hoc ab immortali Deo accedat beneficium, ut aucta læta ſobole Electoralis domus, non in præſens tantum, verum etiam ſeris nepotibus, perpetua ac ſtabili hæredum ſucceſſione, conſulat, merito beatiſſima judicabitur Clivia. Nam nullum majus expeti poteſt in ſucceſſivis provinciis bonum, quam ipſa illa Principum immortalitas: cum extincta dominantium familia, ingentium fere

fere malorum cauſa ſit, quæ non ſemel Cliviam graviter afflixêre. Spem dignæ tantis parentibus prolis auſpicatiſſimum Electoris conjugium cum Auriaca Principe facit, & tot vota quæ quotidie pro ſucceſſu ac incremento inclytæ domus ſuſcipiuntur.

DISSERTATIO XXIV.

De Imperio MEXICANO.

1. CUltiſſima inter Americanos Imperia duo fuerunt, Mexicanum & Peruanum. In Mexicano hæc imprimis axiomata Politica obſervari poſſunt.

2. *Cum Tatelhulcani defeciſſent à Mexicanis, eorumque potentia creſceret indies, Mexicani de Rege creando deliberarunt. Placuit Senatui eligere extraneum.* Variæ poſſunt eſſe cauſæ, cur præteritis indigenis, Reſpublica ad extraneos deferenda ſit: ſive ad evitandas civium factiones, ſive ut nova ad Rempublicam acceſſio fiat: ſive ad amicitiam exterorum comparandam. Quæ ratio Mexicanos movit, qui ut ſibi Regem Culhuacæ conciliarent, vicinum potentem, ex ejus potiſſimum familia Regem ſibi petendum exiſtimarunt.

3. *Rex Acamapixtli moribundus præcepit*

cepit Ordinibus regni ſui, ut Regem eligerent qui regno utiliſſimus eſſet: *non vero hæreditariam ſucceſſionem introducerent*. Electio ſucceſſioni imprimis in regno novo & nondum confirmato, præferenda eſt, cujus infirmus ſtatus virum poſcit ſumma inſtructum virtute & prudentia. Succeſſio frequenter pueros vel ineptos obtrudit. Alexander Magnus rogatus, quem Succeſſorem conſtitueret, reſpondit; *digniſſimum*.

4. Sub Rege Iſcoalt Mexicanum regnum bonis legibus & inſtitutis confirmatum fuit. I. *Mexicani liberati à jugo Azcapuzalcanorum*. Primus ad potentiam gradus libertas eſt. Romana potentia ſub Conſulibus cœpit. Belgæ ejectis Hiſpanis arma toto orbe circumtulerunt. II. *Plebs Regi & nobilibus ſe in ſpontaneam ſervitutem dedit*. Cum quis ſeipſum libertate ſua ſpoliat, ejuſque compos non eſt, ſervitus nullam injuriam infert. Quidam enim ſunt natura ſervi, ut Orientales. Cappadoces, Romanis libertatem offerentibus, eam deprecabantur, profeſſi: *Non poſſe gentem ſuam abſque Rege vivere*. III. *Electores inſtituit penes quos ſolos jus creandi Regis eſſet*. Electio alia eſt abſoluta, quæ ad omnes & ſingulos ſpectat, alia reſtricta, quæ ad certas

tas perſonas. Prior in Polonia obtinet. Sic olim in Germania omnes Principes Imperatorem elegerunt. Reſtricta Mexicanis placuit ad evitandam confuſionem & moram. Eodem conſilio Septem Electores Germania habet. IV. *Agri hoſtium inter bene meritos diviſi.* Lex Agraria magnorum Romæ motuum cauſa fuit. Cæſo Fabius prudenter ſuaſit: *ut Patres ultro occuparent, priuſquam quiſquam Legis Agrariæ Tribunus plebis auctor fieret.* Idque conſilium paulo poſt ſalutare fuit. Eandem legem ipſe Deus populo ſuo tulit. V. *Cum Tezcucocani in deditionem veniſſent, eorum Rex ſupremus Regum Mexicanorum conſiliarius ac Princeps Elector creatus fuit.* Nullum firmius Imperii munimentum, quam ex hoſtibus cives facere. Cruda Imperia & violenta non poſſunt eſſe diuturna. Hinc Romani jus civitatis ſuæ tam late extenderunt, nec aliundè Italicum bellum, quam ex negata civitate. Nihil ad retinendas in officio gentes proſunt caſtella & milites, ſi animo à nobis ſint alieno. *Nec credideris,* inquit Livius, *ullum populum, aut hominem denique, in ea conditione cujus eum pœniteat, diutius quam neceſſe ſit, manſurum.*

5. Quantum unius viri prudentia & forti-

fortitudo Reipublicæ afferre commodi poſſit, Tlacaellel argumento eſt. Qui quatuor Mexicanorum Regum ſummus militiæ præfectus maximas res conſilio & manu geſſit. Optandum quidem ut ſumma in ipſo Principe virtus ſit, ne aliorum ope indigeat. Sed id cum rariſſime inter mortales contingat, ſubſidium ab aliis, petendum. Peſſime Machiavellus: *Bonum Principis conſilium ex ipſius prudentia naſci debet: ſecus ſi fiat, bono conſilio uti non poteſt.* Sed cavendum, ne indigni & ſcelerati primum penes Principem locum occupent, quod Tiberio contigit. Deinde, ne Princeps nudum titulum retineat, omni potentia ad miniſtrum transmiſſa. Quem errorem ultimi Reges Merovingi commiſerunt, cum Majoribus Domus nihil non permitterent. Unde Carolus Martellus Rex eſſe noluit; ſed *Regibus imperitare.*

6. Nondum Mexicano Regno ſatis proſpectum erat. Itaque *Moteſuma primus Tlacaellelis conſilio miniſtrorum regni novos Ordines, Iudicia, Senatores, & alia adminiſtrandæ Reipublicæ neceſſaria munia, inſtituit.* Nimirum Reſp. vaſtum corpus eſt, & plurium membrorum ſubſidio opus habet. Noxium eſt uni plura committere in Rep. munia. Sed cuncta

accu-

accuratè diſtinguenda, ne unus idemque ſit *Grammaticus*, *Rhetor*, *Geometres*, *pictor*, *aliptes*. Hinc enim neglectus, fraudes, corruptiones, inſolentia. Idem inſtituit, *ut ipſa Coronationis die tributa magnifica Provinciæ conferrent*. Splendor externus non minimam Majeſtatem Principi conciliat, neque id ſuperbiæ imputandum, ſed neceſſarium eſt authoritati in populo retinendæ. Elizabetha Angl. Regina hoc conſilio magnifico veſtitu & ſplendore in aula utebatur. Idem Ruſſorum Tzari obſervant, & plerique orbis Monarchæ. Non laudantur Ludovici XI. ſordes. Cautum quoque: *Ne cui Regi liceret Tlaſcalam ſubjugare*. Hoſtes perpetuos habere non raro ad ſalutem Reip. conducit. Hinc Scipio Naſica Carthaginem exſcindi nolebat, ejuſque conſilium eventus paulo poſt comprobavit. Quidam ineptè putarunt Regem Hiſpaniæ ſtudio Bellum Belgicum foviſſe; *ut exercitam haberet in Belgica Schola militiam, quam deinde partes in omnes, velut Ianizaros ſuos Ottomannus Imperator, expediret*.

7. Rex Autzol urbem ſplendidis ædificiis exornavit, veteribus dirutis. Sic Auguſtus gloriabatur *lateritiam ſe Romam accepiſſe, marmoream relinquere*.

Flagi-

Flagitioſa tamen Neronis ambitio, qui ut novam ſtrueret urbem, clandeſtino eam incendio delevit culpa in Chriſtianos rejecta. Illa diruenda ſunt ædificia ex quibus urbi noſtræ periculum ſive ab incendio, ſive ab hoſte, metuendum eſt.

8. Moteſuma II. inſtituit: *ut ſoli nobiles in regia verſarentur Regique ſervirent plebe penitus excluſa.* Quod probandum vel imitandum non eſt, cum & nobilitati & plebi ignominioſum ſit ac nimium ſapiat faſtum. Conſervandum inter ſubditos æquilibrium eſt, ne uno ordine prævalente, alter contemtum ſuum cum Reipublicæ ruina ulciſcatur. Notæ ſunt ſeditiones Romanæ plebis & ſeceſſiones propter Patrum ſimilem inſolentiam.

9. Juniores plerumque ad regnum evecti. Duplex hujus rei cauſa: *Primo*, quia crebræ mutationes Reipublicæ non conducunt. Unde in regnis electivis utile eſt ſummæ rerum admoveri, qui integra etiamnum ſunt ætate: ut laboribus pares ſint non belli tantum, verum & pacis, qui non animum minus quam corpus requirunt validum. Cur vero Veneti & Cardinales Romani in electione ſenectutem imprimis reſpiciant, aliis rationibus nititur, nec in exemplum trahi poteſt.

10. Ad

10. Ad magnificentiam ſpectare videbatur, quod *nullam veſtem ſecundo indueret Rex, nullis vaſis iterum uteretur. Itaque ſingulis diebus novas bis terve ſumebat veſtes.* Putidum hoc, inſtar Choragorum vel Chamæleontis tam crebro & in horas mutari. Nero qualis quantuſque Princeps! ejuſdem vanitatis reus; & in Saracenica Hiſtoria Califa Mercoan dictus Aſinus Meſopotamiæ, qui plures quam decem mille tunicas reliquit, quarum laciniæ pinguedine renum inquinatæ erant.

DISSERTATIO XXV.

De Magiſtratus Authoritate, Poteſtate & Officio.

1. MAGISTRATUS eſt perſona publica ad conſervationem legis & humanæ ſocietatis, cum poteſtate à DEO armata & inſtituta. Ejus natura in tribus potiſſimùm conſiſtit, authoritate, poteſtate & officio.

2. AUTHORITAS dependet *primario* à divina inſtitutione; *ſecundario* à jure gentium. *Divinam inſtitutionem* Theologia ex ſacris literis oſtendit. Nobis ſufficit illud Apoſtoli: *Omnis anima poteſtatibus ſupereminentibus ſubdita ſit: non eſt*

eſt enim poteſtas niſi à DEO : *quæ autem ſunt*, *à* DEO *ordinata ſunt. Itaque qui reſiſtit poteſtati*, *Dei ordinationi reſiſtit.* DEI *enim miniſter eſt*, *vindex in iram ei qui malum agit. Ideo neceſſitate ſubditi eſtote*, *non ſolum propter iram*, *ſed etiam propter conſcientiam.* Quod contra Canoniſtas & Bellarminum obſervandum, qui Imperatorum, Regum & Principum dominium ac prælationem, ex jure humano, non vero divino, promanare dicunt. Anabaptiſtæ vero, non tantum divinam, verum etiam humanam inſtitutionem negant, & ex Magiſtratu meros Tyrannos faciunt. Unde conſequitur eos ſubditorum & civium nomen gerere non poſſe, nec in Republica ipſorum tolerationem periculo carere. Hinc enim contemtus, inobedientia, rebellio, denique Rerumpublicarum everſio.

5. Atque hanc divinam Magiſtratus inſtitutionem, omnes gentes ſuo conſenſu approbarunt. Tacitus V. Annal. *Cunctas nationes & urbes*, *populus aut primores aut ſinguli regunt.* Unde per univerſum orbem conſtituti Magiſtratus, non per tyrannidem & vim, ac contra naturæ præſcriptum; ſed ſecundùm ejus leges, rectæ rationis & conſcientiæ dictamen.

6. Ac quamvis Magiſtratus conſenſu populi

populi imperent, & ab eo conſtituantur, tamen reſpicientes ad ſummum numen, per quod Reges regnant, GRATIA DEI ſe eſſe quod ſunt, teſtantur. Nec exiſtimandum ſolius Monarchiæ eum eſſe titulum proprium; cum à cauſa efficiente principali fluat, ac ipſam illam authoritatem, in qua eſſentia Magiſtratus conſiſtit, exprimat ac declaret.

5. Ex hac authoritate, tum divina, tum humana, fluit POTESTAS Magiſtratus, quæ in Univerſum complectitur Majeſtatem & in ejus juribus verſatur. Eſt autem Majeſtas *ſumma Reipublicæ poteſtas, quam qui ſtatui praeeſt, obtinet in ſubjectos.* Diſtingui vulgo ſolet in *Realem* & *Perſonalem*, quarum *illa* Reipublicæ coæva, cum ea naſcitur & interit, nullum interregnum aut ceſſationem admittit: *hæc* mutabilia pro varietate perſonarum, mortalis ac tranſlatitia eſt. De utraque Tiberius apud Tacitum, *Principes mortales, Rempublicam æternam eſſe.* Unde vulgare illud: *Rex Galliæ non moritur,* adulatorium & falſum eſt, ac Majeſtatem realem cum perſonali, quod plerumque in regnis contingere ſolet, confundit. Realis autem Majeſtas confertur in perſonam ſive Magiſtratum, à Republica, non abdicative ſed communicative, ac ab ea perſonalis

nalis in ſolidum dependet. Hinc Magiſtratus ſeſe juramento Reipublicæ obſtringunt tanquam ſuperiori, ac perſonalis Majeſtas, ſi contra realem inſurgat, ab ea coërceri & caſtigari poteſt.

6. Falſum igitur eſt quod Bodinus dicit, Majeſtatem eſſe ſummam in cives & ſubditos ac legibus ſolutam poteſtatem. Quod tantum abeſt, ut convenire poſſit perſonali Majeſtati, ut etiam realem, quæ tamen ſumma eſt, evertat, & ſolius Thearchiæ (quemadmodum Joſephus appellat incognitam omnibus Politicis Reipublicæ formam, qua Iſraëlitæ ab ipſo immediatè Deo, gubernati) proprium ſit incommunicabile. Meretricia illa Juliæ ad Caracallam vox fuit, omnibus Magiſtratibus deteſtabilis: *Si libet licet. An neſcis te Imperatorem eſſe & leges dare, non accipere?* Nobis non tantum digna Majeſtate imperantis, verum neceſſaria vox videtur, *legibus ſe profiteri alligatum.* Et præclara Trajani vox ad præfectum prætorio: *Accipe gladium, quem pro me ſi bene atque juſte imperavero, diſtringes: ſin minus, eo ad interitum meum utere.*

7. Jura Majeſtatis, alia *Majora*, alia *Minora* ſunt. *Majora:* leges dare, Magiſtratus conſtituere, bellum pacemve facere, ſine provocatione judicare. Quod

nonnulli addunt, *impunitatem peccantibus largiri*, tam alte tranſcendit omnia jura humanæ Majeſtatis, ut Theologi magno conſenſu ſtatuant, id ne quidem in Thearchiam cadere. Nota quoque Salomonis vox: *Qui abſolvit reum & condemnat innocentem, uterque abominatio eſt Iehovæ.* Rejicimus igitur illam Gallorum opinionem, qui nihil tam regium eſſe opinantur, quam damnatos ſupplicio eripere, quod ne matri quidem reginæ, ſine Majeſtatis detrimento, concedi poſſe curia Lutetiana judicavit teſte Bodino; itemque tribunal gratiæ à Thoma Campanella, pro munimento Hiſpanicæ Monarchiæ, conſtructum, ex Rege, Regina, Principe regni hærede, & primario Religionis antiſtite. *Minora*, pœnæ, mulctæ; vectigalia, tributa & ſimilia.

8. His partibus poteſtas Magiſtratuum abſolvitur & circumſcribitur pro ratione ac conditione Rerumpublicarum & Legum. Sequitur OFFICIUM Magiſtratus, quod nihil aliud eſt quam executio illius poteſtatis. Nam poteſtas ſine officio fruſtranea eſt. Cùm vero ſecundum Apoſtolum, *Magiſtratus non fruſtra gladium gerat*, conſequitur ex poteſtate derivari officium, illudque in exercitio poteſtatis legitimo conſiſtere. Et hæc duo, poteſtas

ac

ac officium, æqualem habent latitudinem, neque objecto differunt, ſed ut actus & facultas.

9. Idque contra Barclajum obſervandum, qui inter poteſtatem Magiſtratus & ejus officium ita diſtinguit, ut illam velit eſſe infinitam, illimitatam, abſolutam, & independentem: hoc vero legibus circumſcriptum & varie determinatum. Hinc multa licere Magiſtratui, ſi poteſtatem reſpicias, quæ illicita ſint ſpectato ejuſdem officio. Alterum quid poſſit denotare, alterum quid facere debeat. Quæ falſa ſunt & cum authoritate Magiſtratus ejuſque poteſtate pugnant.

10. Nam quod ſeſe authoritati Magiſtratus conſulere, eamque per talem licentiam Julianam amplificare putant, vehementer errant, ac ſummam injuriam ſanctiſſimo Ordini faciunt, eumque ſubditis exoſum reddunt. Non enim perfectionis eſt poſſe peccare, ſed imperfectionis, neque in laude, ſed vituperio ponuntur ſcelera impune commiſſa. Ipſius DEI omnipotentia in eo conſiſtit quod peccare, & libertas quod mala velle non poſſit: cujus cum expreſſa imago Magiſtratus ſint, quis non videt eos per talem licentiam transformari in imaginem Diaboli? Repugnat igitur illa Macchiavel-

liſtarum, de abſoluta & infinita Magiſtratuum poteſtate ac libertate peccandi doctrina, divinæ eorum inſtitutioni pariter ac humanæ; & evertit omnem, qua inſtructi eſſe debent, authoritatem.

11. Quæ tanta eſt, ut major Magiſtratui, quam parentibus, obedientia debeatur, in omnibus omnino rebus, quæ juri divino, naturali, gentium & Reipublicæ conſtitutioni, non repugnant. Nam in tali caſu Papinianus aliquis mori, quam ſcelus ſive facere, ſive probare, decrevit,

—— Phalaris licet imperet, ut ſit
Falſus & admoto dictet perjuria tauro.

Neque hic moramur Bodinum qui fortiter magis quam ſapienter Papinianum feciſſe ſcribit. Quaſi vero ſapientia ſit defendere inceſtum & ejus generis horrenda flagitia?

12. Optima ad Magiſtratum perveniendi via eſt, Electio. Nam ipſa natura eam approbat, tanquam rationi humanæ & libertati maximè congruam, ac reliquos modos, ſucceſſionem, hæreditatem, alioſque, tanquam temerarios & pœnales, rejicit. Sic Galba apud Tacitum 1. Hiſtor. *Hactenus unius familiæ hæreditas fuimus: loco libertatis erit quod eligi cœpimus.* Quæ etiam electio, ſi, quod debet, à prudentibus & patriæ amantibus viris

viris inſtituatur, non poteſt non optimum dare Magiſtratum. *Neque enim cum eſſet poteſtas, malos Senatus eligeret*, inquit Capitolinus in Max. & Balb. Et Galba: *Optimum quemque adoptio inveniet*. Unde Vopiſcus tradit: *Adjuratum fuiſſe in Senatu Tacitum, ut cum mori cœpiſſet, non liberos ſuos, ſed optimum aliquem Principem faceret.* Nam regna ſucceſſiva & hæreditaria etiam infantes, pueros, fatuos, ſceleratos, & fæminas, ineffabili cum damno & dedecore, ad Magiſtratum admittunt. Imprimis Gynæcocratia adeo eſt naturæ legibus inimica, ut Devs non modo Reip. ſed etiam familiæ dominatum fæminis eripuerit. Et cum Magiſtratus ſit officium virile, ac à Deo ipſo fæminæ in totum, à dominio in viros excluſæ, viderint qui Semiramides admittunt, qua id faciant conſcientia. Nam & ipſa Semiramis ſub viri perſona regnavit & Ungari Mariam ſuam, non reginam ſed Regem appellari voluerunt. Quod verò interdum fœminæ Magiſtratum geſſerunt, non magis concludit pro earum jure, quam equus Caligulæ Conſul pro ſui generis animantibus.

13. Ex his, quæ dicta ſunt, patet, veriſſimum eſſe quod vulgo dicitur: *Magiſtratus virum indicat*. Sive in pejus Taci-

tus de Galba: *Omnium conſenſu capax Imperii niſi imperaſſet.* Sive in melius. Idem: *Solus imperantium Veſpaſianus mutatus in melius.*

DISSERTATIO XXVI.

De Conſilio & Conſiliario.

1. QUanta in Republica Conſilii ac Conſiliarii neceſſitas ſit, Regum Sapientiſſimus Salomo Prov. cap. xi. his verbis docet: *Vbi non ſunt prudentia conſilia, corruit populus: Salus autem eſt in amplitudine Conſiliarii.* Quibus prudenter ſubſcribit Salluſtius in Catilina: *Ego multa legendo & audiendo ita comperi, omnia regna, civitates & nationes uſque eo proſperum imperium habuiſſe, dum apud eos vera conſilia valuerunt: ubicunque gratia, timor, voluptas ea corrupêre, poſt paulo imminutæ opes, deinde ademptum Imperium, poſtremo ſervitus impoſita.*

2. Eſt autem ſumma conſilii de Republica capiendi difficultas propter duplicem imprimis rationem. Tum quod rerum futurarum, & ſingularium potius quam univerſalium ſunt: tum quod multis humana caſibus, velut ex transverſo & per accidens involvuntur. Prius obſcurita-

tem, poſterius difficultatem, utrumque magnam eventus atque ſucceſſuum incertitudinem parit. Ex quo conſequitur non perinde conſilia de Republ. capi poſſe ac res ipſæ cognoſcuntur: cùm illa conjecturis nitantur, hæ artis præcepta ac demonſtrationes univerſales ſuppeditent.

3. Non tamen exiſtimandum eſt nulla arte ac prudentia, ſed mero caſu conſilium dirigi. Nam diuturna obſervatio ſimilium exemplorum, experientia, ſenſus, atque imprimis lectio Hiſtoriarum, mentem inſtruit ad recte formanda conſilia. De quo præclarè Livius: *Hoc illud eſt præcipuè in cognitione rerum ſalubre ac frugiferum, omnis te exempli documenta in illuſtri poſita monumento intueri, unde tibi tuæque Reipublicæ quod imitere capias: inde fœdum inceptu, fœdum exitu quod vites.*

4. Conſilium ante omnia debet eſſe *prudens, ſimplex, expeditum. Prudentia* requirit accuratam & convenientem finis ac mediorum ſubordinationem, ne quid inhoneſte aut indecorè fiat. Quo excluditur omnis calliditas, quæ eundem quidem cum prudentia propoſitum finem habet, ſed mediis inhoneſtis utitur, *Simplicitas* procul abeſſe vult omnem & ſubtilitatem, quæ propter nimium acumen,

facile evaneſcit & pompam ac oſtentationem, quæ ſpecioſa quidem, ſed eventu vana conſilia, reddit. *Expeditio* nec operoſa, multo minus impoſſibilia admittit, & quæ non ſunt practicabilia, ut vulgo loquuntur. Conſilium enim ſine executione, corpus ſine anima, moles ſine nervis eſt. Et quanquam ſit actus mentis, non tamen in nuda ſpeculatione conſiſtit ſed eſt prudentia practica.

5. Quanquam vero nihil magnis conſiliis tam inimicum vulgo dicatur, quam celeritas, & *ſcelera impetu, bona conſilia mora valeſcant*, non tamen omnino probanda eſt illa lentitudo & affectata tarditas, quæ gravis prudentiæ ſchema prætexit, cum ſæpe ſumma imprudentia ſit. Auguſti illud Symbolum: *Feſtina lente*, temeritatem ac præcipitantiam, non vero neceſſariam rebus gerendis celeritatem excludit. Atque hæc imprimis obtinet in ſtatu *Reipublicæ* turbato, nec cunctator Fabius rem Romanam in ſolidum reſtituiſſet, niſi acceſſiſſet Scipionis celeritas.

6. Conſilium bonum mutabile quidem eſt, ſed non inconſtans. Pertinacia procul abeſſe debet, ſed ita ut excludatur levitas. Velificandum nimirum in hoc vaſto Reipublicæ mari occaſionibus, tempori

pori & ſi qua reflet ventus, vorſoria capienda. Hæc mutatio neceſſitati datur, non levitati & affectibus. Cui vitio præcipuè obnoxios eſſe Germanos Carolus V. obſervavit, Comitia illorum aſſimilans viperis. Sicut enim iſtæ matres ſuas tollunt: ſic illorum poſteriora decreta, prioribus fere adverſantur & illa evertunt. Nam affectui potius hoc adſcribendum, quam levitati, ut Bodinus Germanis per calumniam impingit. De majoribus noſtris Tacitus: *Detecta ac nuda mens omnium, poſtera die retractatur.* Retractare hoc loco non eſt repudiare, vel refutare, ſed denuo vel diligentius tractare ac recognoſcere. Quod ſequentia oſtendunt: *Deliberant dum fingere neſciunt, conſtituunt dum errare non poſſunt.* Illuſtrat totam rem Seneca de Benef. *Non eſt levitas à cognito & damnato errore diſcedere. Hæc vero ſuperbæ ſtultitiæ perſeverantia eſt:* Quod ſemel dixi, qualecunque eſt, fixum ratumque ſit: *Non eſt turpe cum re mutare conſilium.* Et Cicero pro Balbo: *Non eſt inconſtantis ſententiam tanquam aliquod navigium, è Reipublicæ tempeſtate moderari.*

7. Nullius Principis aut Magiſtratus tanta eſt ſapientia ut ſuo unius conſilio confidere debeat. Quod qui facit *ſuper-*

bus magis eſt quam ſapiens, teſte Livio. Requiruntur igitur, ad gubernandam Rempublicam, conſiliarii, optimum boni Imperii inſtrumentum.

8. Eorum præcipuæ virtutes ſunt Pietas, Prudentia, Fides. *Pietas:* neque enim Principi fidelis erit, qui Deum Regem Regum contemnit. *Conſilia impiorum ſunt fraudulenta.* Prov. IX. *Prudentia:* ita ut rerum hominumque periti, fortuna varia exerciti, docti, modeſti, taciturni ſint. *Fides*; ſic ut publicis rebus poſthabeant privata, quæ *ſemper offecère officientque publicis conſiliis*, ut prudenter Livius monet. Ex quibus facile intelligi poteſt, quinam mali ſint Conſiliarii: homines nimirum impii, blaſphemi, injuſti, avari, rudes, indocti, laſcivi, contumaces, adulatores, affectibus ſuis deditî, & qui cuncta ex ſuo tantum commodo conſilia metiuntur, uno nomine, Dei, Principis ac patriæ ſuæ peſſimi proditores.

9. Ætas matura neceſſario in Conſiliariis requiritur. Nam prudentia, quæ inter principes eorum virtutes, non cadit in juventutem; cujus proprium eſt, temere, audacter, confidenter omnia agere. Deinde authoritate deſtituuntur, quæ tamen in conſilio dando aliis plurimum ponderis habet. *Annorum multitudo Sapien-*

pientiam docet : Jobi XI. 12. Vide 1. Reg. XII. exemplum Rehabeam.

10. Honeſto genere ſint prognati, ne infamia ipſis parentum vel cognatorum objici queat. Ut nobiles ſint, non præciſè requiritur. Præcipua conſiliarii nobilitas eſt pietas, prudentia, fides.

11. Maximum Reipublicæ Concilium ac ſupremi Conſiliarii ſunt Ordines in Comitiis congregati. Quorum, etiam in regnis quæ abſoluta vocantur, ſumma eſt neceſſitas, ad reformanda univerſæ Reipublicæ, maximè vero aularum, vitia, caſtigandoſque malos Principum Conſiliarios. Ut qui magnum hoc & fideliſſimum Principi exoſum reddunt Conſilium, hoſtes patriæ ac proditores ſint.

DISSERTATIO XXVII.

De DEMOCRATIA.

1. DEMOCRATIA *eſt ſtatus Reipublicæ, in quo civium vel omnium, vel magnæ partis nomine quidam alternatim omnibus imperant & ſecundum populi ſuffragia jura majeſtatis exercent.* Dicitur ab Ariſtotele Reſpublica. Nam is per Δημοκρατίαν intelligit Imperium plebis, quando nimirum fex populi imperat, reliquis civibus honeſtioribus ex-

 cluſis,

cluſis, qui ſtatus non poteſt non eſſe corruptiſſimus: quia contra naturam eſt, ut imperfectum perfecto, deterius meliori, anima corpori imperet. Caret etiam prudentia illud plebis ſordidum & ruſticum chaos, & plane inepti ſunt ad Reſpublicas regendas, cuncta impetu, nihil vel parum ratione agentes.

2. Ut igitur Democratia legitima ſit, neceſſario his opus eſt cautionibus. I. *Ne promiſcue ad Rempublicam quivis ex plebe admittantur.* Convenit quidem Democratiæ ut magiſtratus ex omni civium ordine, nulla habita ratione cenſus aut nobilitatis legantur: ſed tamen neceſſario reſpectus habendus eſt earum virtutum, quæ in omni Magiſtratu requiruntur. Ita ut ſi modum adminiſtrationis reſpiciamus, omnis Democratia ſit Ariſtocraticè adminiſtranda, & non differant Democratiæ bene conſtitutæ ab Ariſtocratiis niſi in his duobus: 1. Quod imperia Democratica ſint ambulatoria. 2. Quod in iis non reſpiciatur nobilitas, divitiæ, ſed ſola virtus. II. *Ne univerſus populus viritim ad ſuffragia ferenda convocetur.* Hac ratione tutiſſimè vitium popularis confuſionis tolletur, ſi univerſus civium ordo in certas claſſes diſtribuatur: hæ ſuos Tribunos & præfectos habeant, qui no-

mine

mine totius populi jura majeſtatis exerceant. Tales apud Lacedæmonios erant Ephori, apud Romanos Tribuni plebis, apud Genevates Senatus Ducentorum. Eadem ratio Helvetiorum & civitatum Hollandicarum, in quibus *de Vroedſchappen* univerſum populum repræſentant, ſicuti in Transiſalania *die ghemeens mannen*.

3. Falſum eſt Democratias ita temperatas, eſſe ſtatum natura ſua imperfectiſſimum. Cujus contrarium apparet exinde, quod maximè ſit naturalis, quippe maxime ſecundum libertatem eamque non vagam & confuſam, ſed ſecundum leges civitatis ac virtutem determinatam. Nuſpiam enim major legibus reverentia vel virtuti honos quam in Democratia exhibetur. Nec ullius momenti eſt quod objiciunt Democratiam longiſſimè ab unitate recedere. Eſt enim unitas alia perſonalis, alia realis, alia ſingularis, alia complexa.

4. Natura Democratiæ poſtulat, ut honorum æqualitas & libertas ſit, atque etiam Iſonomia. Hinc enim fit ut alii aliis parere nolint, niſi ea lege, ut ipſi viciſſim imperent iis quibus paruerunt.

5. Nec exiſtimandum eſt Democratiam pugnare cum ſtatu nobilium, aut

eum evertere. Quod ubi ſit,per accidens fieri neceſſe eſt propter notabilem culpam ac malitiam nobilium,ſicuti in Helvetia, cum nobiles Tyrannis faverent ac libertatem populi opprimerent, factum fuit; tum enim populus epidemico quodam furore univerſam nobilitatem trucidavit paucis tantum familiis exceptis,quæ innocentes, vel incolumitatem paciſcebantur. Eadem Argentinenſium ratio, ubi lege ſancitum: *ne quis Ammeiſterus.* (ita ſummum Magiſtratum vocant) *creetur,niſi alicui opificio deditus.* Contra vero in multis Democratiis nonniſi nobiles vel patritii ad Magiſtratum admittuntur, quæ propriè *Timocratia,* quemadmodum Romæ ante legem Canuleiam, & hodieque Noribergæ fit. Si enim illæ familiæ bene & prudenter adminiſtrent Rempublicam, nec privatum commodum ſed publicum bonum quærant, cauſa nulla eſt cur clavo Reipublicæ depellantur, quod etiam ſine magno malo fieri non poteſt.

6. Ex his patet Democratiæ duas conſtitui ſpecies poſſe,liberam & adſtrictam. *Libera* ſive abſoluta omnes pariter ad Magiſtratum admittit, qui ejus capaces ſunt & ſufficienti virtute inſtructi.

Tros Rutulusve fuat, nullo diſcrimine habetur.

Talis

Talis Athenienſium tum & multarum Græciæ civitatum Democratia *Adſtricta* ſive limitata non quoſvis promiſcue ſed certas familias, *quamdiu ſe bene geſſerint*, rerum ſummæ præficit.

7. Sors proprie Democratiarum eſt, quia maximè popularis, ſine gratia aut favore. Ita autem temperanda ut primo ſuffragiis ſufficiens numerus eorum, qui apti ſint, eligatur, deinde inter eos ſors diſcernat. Sic & virtutis habebitur ratio, & tamen æqualitas non lædetur.

8. Democratia facile degenerat in Ariſtocratiam vel Monarchiam. Contra utrumque, proderit Magiſtratus crebro mutarė: quia ut Livius ait: *Libertatis magna cuſtodia eſt, ſi magna imperia diuturna eſſe non ſinas, & temporis modus imponatur, quibus juris non poteſt.* Cavenda etiam ſunt bella civilia, quæ vix componi poſſunt niſi imperio ad unum devoluto, quod Romanis accidit ſub Julio Cæſare & Auguſto, qui *cuncta bellis civilibus feſſa ſub Imperium accepit.*

9. Optimum autem Democratiæ temperamentum eſt quod Ariſtoteles 4. Pol. 8. *μίξιν* vocat, ſive cinnum ex Oligarchia & Democratia, ſi nimirum totus ordo patritiorum æquali jure cenſeatur cum toto ordine plebis, non habita ratione numeri.

numeri. Tum enim forma Reipublicæ communis oritur, in qua plebs præ multitudine non plus poſſit quam nobilitas, ac ſimul ſumpti indiviſa poſſident jura majeſtatis. Talis in Gelria ſtatus. Ut vero concordia ſervetur inter utrumque Ordinem, communi regi debent magiſtratu & iiſdem gaudere privilegiis. Male Romani ſtatuerunt: *Ut penes populum poteſtas, penes ſenatum authoritas eſſet.* Inde enim diviſa jura Majeſtatis ac collidi inter ſe patritii & populus, donec hic prævaleret & Democratiam abſolutam inſtitueret.

DISSERTATIO XXVIII.

De ARISTOCRATIA.

1. ARISTOCRATIA *eſt ſtatus, in quo excellentioribus aliquot jus majeſtatis & Imperium in cæteros commiſſum eſt.*

2. Vocatur alias *ſtatus optimatum,* quia in eo optimi & honoratiores ſpectant commune bonum Reip. reliqui privata plerumque tantum. Optimi hoc in argumento non *phyſicè* ſed *ethicè* ſumuntur.

3. Ad legitimam vero Ariſtocratiam imprimis requiruntur quatuor *I. Pietas,* quæ

quæ ſi abſit prudentia hominum in ſtultitiam, conſilium in temeritatem, tota civitas in perniciem ac confuſionem cito ruit, juxta illud:

Si deſit pietas, eſt vana ſcientia rerum,
Si deſit pietas, omnia cæca manent.

Debent enim eſſe *viri ſtrenui, timentes Deum, odio habentes lucrum*, Exod. 18. v. 21. *II. Concordia*, aurea illa civitatis anchora, parens utilitatis publicæ, ita nempe ut tam diu bona ſit & legitima hæc adminiſtratio, quamdiu plures iſti optimates, qui imperant, conſentiunt inter ſe: Nam ut conſenſio humorum in corpore ſanitatem, intemperies morbum parit: ita iſtorum inter ſe conſpiratio ſalvam, diſtractio turbulentam civitatem reddit. Nam & Livio teſte *decemvirûm Imperium ſolâ eorum concordiâ conſervatum fuit. III. Virtus:* ab hac enim optima Reip. adminiſtrandæ ratio tanquam fructus à planta dependet, quæ niſi conſtanter ſervetur, ſtatim labaſcit Reip. forma: ut enim ſole ſublato ſequuntur tenebræ: ita virtutis ſtudio exſtincto ſequuntur Rerump. ruinæ 1 *Sam.* 8. v. 3. ubi *ob avaritiam & improbitatem filiorum Samuelis* Ariſtocratia in regnum mutata (4) *Nobilitas, ætas, fama, &c.*

4. Pluribus ſociis in hoc ſtatu ex æquo jus

jus imperandi indiviſim competit in eoſdem ſubditos.

5. Jus convocandi Collegas ad conſultandum de Rep. ſimul & poteſtas proponendi capita deliberanda, colligendi ſuffragia, collegarum conſenſu in unum transferri debet, qui vocatur *Decanus ſive Præſes*, (ſic in Collegio Electorum eſt Elector Moguntinus) idque *vel anniverſariè vel perpetuo*.

6. Requiritur etiam in optimatibus *ſilentium*, optimum rerum adminiſtrandarum vinculum, idcirco conſilia ſua ſecreta habeant, nec quidquam de iis in plebem emanare ſinant, adeo ut imperio excidat qui propalaverit quæ tacenda fuerant: eſt enim vulgus inſtar furentis ſali, in quo niſi optimates navim conſiliorum arte regant, facile naufragium facere poſſunt. Lex Ægyptiorum iiſdem linguam exſcîdit. Romanæ leges enuntiatorem conſiliorum capite plectunt.

7. Numerus optimatum præciſè definiri non poteſt, ſed variatur pro qualitate & quantitate Reip. Certum eſt, unum non poſſe conſtituere Ariſtocratiam: dicitur enim non Κρατεία ἀρίστου, id eſt, *Imperium optimi*, verùm Κρατεία τῶν ἀρίστων, id eſt, *Imperium optimorum*. Plato quidem lib. 6. de Leg. 30: viros mediæ æta-

tis

tis ſeligit, quem & *Lacedæmonii* ſecuti: verum etiam ex paucioribus aliquando conſtiterunt Ariſtocratiæ: ut *Saxones* olim à 12. Comitibus gubernati. *Circaſſiis* adhuc ſeptem Principes præſunt. Eundem numerum fœderati Belgæ retinent. Nonnulli numerum Platonis exceſſerunt, ut *Thebani, Maſſilienſes*, quorum ſenatum Strabo ex 600. civibus componit. *Noribergenſes*, quorum magnum Conſilium ex 300. conſtat. Quo vero pauciores fuerint, eo ſtabilior ac diuturnior erit optimatum ſtatus.

8. Eliguntur optimates vel *ſorte:* (quod tamen non temerè locum obtineat) vel *ſuffragiis* reliquorum Optimatum.

9. Huc pertinet celebris illa quæſtio, *utrum optimates potius ex indigenis quam peregrinis eligendi ſint?* cujus quæſtionis partem affirmantem ducti his imprimis rationibus amplectimur. I. Quia periculoſum eſt angues in ſinum & peregrinos in ſenatum aſſumere: nam ut illi calore recreati mordent; ita hi clavum in Rep. tenentes civitatem perdunt. II. quælibet gens proprios ſuos mores & peculiare ingenium habet: hinc peregrini ſtudent Remp. ad ſuos mores conformare. Verùm quid citius parit ſeditionem quam legum morumque mutatio? III. Exem-

plo

plo populi Iſraëlitici, cui Deus expreſsè hanc legem dat. Deut. 16. IV. Turpe eſt & valde abſurdum Remp. committere exteris ac peregrinis, nam ut Cicero ait: *Caput eſt noſſe Remp.* quâ notitiâ peregrini deſtituuntur. Præterea cum nulla regio tam ſterilis ſit virorum idoneorum ad Remp. gerendam, quid opus eſt eam, indigenis excluſis, peregrinis committere, qui plerumque exoſi ſunt?

10. Hinc jam patet quod Ariſtocratia ſit accommodatiſſima forma Reip. *ad conditionem & imbecillitatem humanam*, quæ ſic comparata eſt, ut unus vix poſſit ſuſtinere onus regiminis, vix ipſe idonea conſilia invenire, utpote qui facile poſſit degenerare in omne genus ſcelerum & licentiam, *nihil enim*, dicente Cicerone, *in ſimplici genere natura omni ex parte expolitum reddit*, quod exemplo ſuo comprobavit *Zeuxes*, cum ſimulacrum *Helenæ* pingeret, ex diverſis namque puellis perfectam imaginem delineavit: alium ſiquidem juſtitia, alium fortitudo, alium alia virtus commendatum efficit, unus autem qui virtutes omnes complecteretur, nunquam, ut arbitror inventus eſt. Contra vero plures plura vident, plurium optimorum virorum optima ſunt conſilia, quin & unus poteſt alterum

terum in officio continere, atque ita facile æquilibrium in Rep. conſervatur.

11. Dividitur Ariſtocratia in *ſimplicem & mixtam*. In *ſimplice* ſola virtus colitur: quæ etſi hac rerum humanarum imperfectione obtineri nequeat: ejuſdem tamen ſphæram, tanquam optimum Reipubl. adminiſtrandæ exemplar, non ſine fructu intuemur; nam ut cœlum oculo & animo à Deo videndum & contemplandum nobis proponitur, quod tamen digito in hac vita non tractamus: Ita hæc Venus & radioſa Reip. ſtella nobis objicitur contemplanda. Quò enim Reſp. longius ab hac declinant, eò magis turbulentæ & inquietæ ſunt; Et quemadmodum Columba illa emiſſa ex arca quietem pedi antequam reverſa eſſet non invenit: Sic Reſp. à portu virtutis in Oceanum veluti humanæ vertiginis præcipitatæ vacillant ſemper & periclitantur, donec ad eundem portum revocatæ fuerint. Eſt enim ſolùm virtutis navis à tempeſtate ſeditionis tuta. *Mixta eſt*, in qua virtus, libertas & divitiæ dominantur, de qua hic propriè agimus.

12. *Mixta* rurſus dividitur in *ſummam*, quæ nullum agnoſcit ſuperiorem ut *Veneta*, & talis videtur fuiſſe ſtatus Iſraëlitarum; *Ioſue* 22. *v.* 14. vel *ſubalternam*,

ternam, ubi aliquem agnoſcunt ſuperiorem, ut eſt in pluribus civitatibus Germaniæ, quæ Imperiales appellantur, imprimis *Norimbergæ*, ubi exactiſſima forma eſt Reip. ſubalternæ.

13. Cum vero veriſſimum ſit: *omnia ſuum tempus & terminum habent*, idcirco non ſolum corruptæ, verum etiam optimæ Reſp. ſuis fatis agitantur: nihil fixum, nihil permanens in hoc mortali ſtatu. Hæc vero ita ſeſe habere experientia teſtatur. Ubi enim *Aſſyriorum* matutina ſtella; ubi magna *Perſarum* pompa; ubi viridis *Græcorum* palma; ubi Aquila *Romanorum?* conſenuerunt hæc omnia & veluti annoſa planta in pulverem ſubſederunt. *Ariſtocratiæ* quoque de quibus nunc agimus, in globo fortunæ poſitæ aliquando nutant, nec non fatorum motu concuſſæ declinant ſæpe. Cauſæ igitur inquirendæ hujus converſionis, ut hiſce cognitis, quantum humanâ fieri poterit providentiâ, hæc mala præcaveamus: *tela enim præviſa minus nocent*. Cauſæ ſunt vel reſpectu *optimatum* vel *ſubditorum*.

14. Reſpectu Optimatum præcipuæ ſunt Sex.

I. *Languor virtutis & contemptus:* certum enim eſt in optimatum ſtatu non tam homini, quam virtuti ſceptrum deberi:

beri: omnia enim ibi ſecundùm juſtitiam & æquitatem facienda ſunt: ſi ergo ab ea declinent, veluti animâ è corpore ſublatâ, eorum regimen cadit.

II. *Diſcordia*, quam *Livius* rectè *venenum* Rerump. vocat, fructus enim producit triſtiſſimos, quibus pax publica & privata turbatur, ex qua oritur *Oligarchia:* (quæ directè opponitur huic ſtatui) *quando pauci ex optimatibus, Collegis excluſis, imperium invadunt & pro arbitrio, contemptis legibus, reliquam multitudinem opprimunt.* Sicut enim, ut antea diximus, ad conſtituendam Ariſtocratiam requiritur virtus & concordia; ita eam deſtruunt contraria.

III. *Legum optimarum abrogatio & antiquatio:* nam ut laxati nervi in corpore humano magnam infirmitatem, conciſi vero tormenta doloris gignunt: Ita leges optimæ: (quæ ſunt veluti nervi hujus adminiſtrationis) ſi negligantur, diſſolutionem, ſi autem omnino antiquentur, ſeditionem faciunt. Hinc apud *Locrenſes* collum in funem mittere cogebatur, qui novam volebat inducere legem, ut ſi non acceptaretur à populo, laqueo contracto ſtrangularetur.

IV. *Affluentia nimia divitiarum*, quæ etiam *Oligarchia* plerumque mater eſt. Dum

Dum enim optimates aureos montes cogitant, raro excubias in arce civitatis agunt, exceſſus enim otioſos Magiſtratus reddit & confidentes ad omne audendum aggrediendumque facinus : quippe hoc dæmone obſeſſi contra leges & inſtituta majorum ſibi licentiam rapiunt, moliuntur nova, demoliuntur omnia. Hæc cauſa quoque *Locrorum* ſenatui aliiſque rebuſp. perniciem attulit.

V. *Neglectus minimarum transgreſſionum*, cujus finis vulnus & mors eſt civitatis : Ut enim rimula in navi neglecta demergit navem : ita minima mala in civitate non obſervata totam ſæpiſſimè remp. in diſcrimen trahunt, exempli gratia: Lex erat apud *Thurios*, ut ultra quinquennium nemo exercitus præfecturam gereret. Juvenes hanc legem violant : factum videbatur parvum, negligitur, duces perpetui fiunt, forma civitatis in aliam vertitur & mutatur. Sic quoque res parva videbatur Romanis, tribunos plebis inſtituere : ſed hæc libertas licentia facta, conſulum lumen obſcuraſſe dicitur. Hinc ſapienter *Hippocrates : nihil contemne, nam nihil parvum :* puſtula ſæpe in peracutum morbum, res parvi ponderis in grande periculum migrant. Non eſt ergo in exſtirpandis le-

viculis

viculis ſcelerum occaſionibus morandum:

Nam mora dat vires, teneras mora procoquit uvas,
Et validas ſegetes, quod fuit herba facit.

VI. *Impar & inæqualis mixtio*, ita nempe, quoniam Ariſtocratia ex tribus uti dictum conſtat, videlicet *Libertate, virtute & divitiis*, quorum ſi non æqua obſervetur proportio, neceſſe eſt ut contingat ſeditioſa converſio: in quamcunque partem enim inclinat, in eam convertitur; ut ſi in libertatem nimiam *Democratia*: ſi in opulentiam, *Oligarchia*; ſi in exceſſum & excellentiam, *Tyrannis* oriatur. Sicut enim mediocritate Reſp. conſervatur; ita extremis omnino diſſolvitur. Sola ergo æqualitas virtutis & dignitatis perpetua. Et hæc Optimatum reſpectu.

15. *Ratione ſubditorum* metuendum eſt, ne velint eam mutare in *Democratiam*, quia indole ſua ad eam propendent, putantes ſe, tanquam partem maximam, debere etiam maximam eſſe dignitate, juxta proverbium Germanicum:

Herr omnis meinet er ſei herr,
Weil der ſelben ſein deſto mehr.

Hinc facile quoque cujusvis vocibus patiuntur

tiuntur ſeſe contra Optimates commoveri. Sicut plebs Romana Sicinio Duce & authore in Sacrum montem abſceſſit.

16. Quod ne fiat Optimates caveant ne populus nanciſcatur inſtigatores contra ſtatum Optimatum. Quapropter Oratores & Demagogi penitùs à rep. relegentur, qui ſeditioſis concionibus populum decipiunt, & ſub aureo ſolio lethale venenum fundunt. Talis *Percenius* apud Tacitum 1. *Annal.* qui milites, velut concionabundus interrogabat: *Cur paucis Centurionibus, paucioribus tribunis, in modum ſervorum obedirent?*

17. Hæc pro noſtro inſtituto de *Ariſtocratia* dixiſſe ſatis eſt. Coronidis loco primarias differentias inter *Ariſtocratiam* & *Democratiam* breviter adjiciemus, quæ ſunt:

I. In Ariſtocratiâ pauci; in Democratiâ multi imperant.

II. In Democratiâ annui: In Ariſtocratiâ plerumque perpetui.

III. In Ariſtocratia *virtus, nobilitas & divitiæ*; In Democratia hæc non ita ſpectantur.

DISSERTATIO XXIX.

De EPHORIS.

1. AUrea Diocletiani vox eſt: *Nihil difficilius eſſe, quam benè imperare.* Varii enim hic caſus offeruntur, varia ſcelerum genera, varia pericula & negotia. Rariſſimè occurrunt, in quos tantas animi dotes natura contulit, ut illorum mens ingentem regiminis molem ſuſtineat, nulliſque obnoxia erroribus in omne genus licentiæ ac tyrannidis nunquam degeneret: nihil idcircò conſultius, quam ut univerſum Reipublicæ corpus in certas claſſes diſtributum, in quoſdam ſummam imperii & jura Majeſtatis transferat, qui repræſentantes univerſalem conſociationem poteſtate illius utuntur, ſummum Magiſtratum intra officii limites continent, ope conſilioque juvant, ejus iniquas actiones vel tollunt, vel antevertunt, denique provident ne quid Reſp. detrimenti capiat.

2. Tales vocantur *Ephori* ἀπὸ τοῦ ἐφορᾷν, quod ad civitatis ſalutem habeant oculos intentos. Hi reſpectu officii ac dignitatis variis ornantur titulis: Ab aliis appellantur *Patritii*, *Seniores*, *Status & regni Primores*, *cuſtodes & defenſores juſtitiæ*,

ſtitiæ, *cenſores & inſpectores ſummi Magiſtratus*. Illi collectivè conſiderati eo ſunt ſuperiores; ſigillatim verò, inferiores.

3. Illud extra omnem controverſiam eſt, hos *Ephoros* eſſe pedes & fundamenta, quibus auctoritas & ſalus populi ſubnititur. Hi ſunt oculi, qui Magiſtratus ſummi actiones ſcrutantur, quorum acies reprimit regiæ poteſtatis ſplendorem, ne in tyrannidem efferveſcat. Aurea Bulla Caroli IV. Imperatoris Electores, qui ſunt generales Ephori imperii Germanici, vocat *columnas & baſes regni*, quia ſic Cæſareæ ſublimitati aſſiſtunt, ut in partem ſollicitudinis conſtituti, pondus ac onus regiminis portare videantur.

4. Modus eligendi & conſtituendi ejuſmodi Ephoros variat pro naturâ & conſuetudine regni. Eliguntur enim vel ſuffragiis totius populi in certa collegia diſtributi, vel viritim, vel ſorte. Summo autem Magiſtratui aut Optimatibus jus eligendi minimè competit, niſi hoc ex ſpeciali populi conceſſione ac beneficio obtineant.

5. In electione hæc duo inter alia accuratè obſervanda occurrunt.

1. Ne hæc ſuprema Reip. dignitas, indigenis prærepta, in exteros conferatur,

cum

cum id non exiguis periculis involutum ſit: *Admitte enim ad te alienigenam, & ſubvertet te in turbine & alienabit te à tuis propriis.* Eccleſiaſt. 11. Et licet illis committantur militiæ & leviora quævis munera, haud æquè tutò, ſumma rerum adminiſtratio concreditur. Satis inter alia exempla commoneſacit ingemiſcentis ac funeſtiſſimæ Galliæ facies: Notiſſimum quantis tumultibus illam recens expoſuerit *Mazarinus Cardinalis Italus*, quem Galli ad tantam poteſtatis gloriam emergere paſſi ſunt, Majorum periculis minimè edocti.

5. Ut dignitas in potentiâ ac opibus conſideretur: *Potentiâ*, quia hæc eſt directa & regia ad ſolidam autoritatem via; Sciendum præterea parum tutam Majeſtatem ſine viribus eſſe, *Liv. l. 2. C. 55. Opibus*, quia ſunt nervus imperii, quo omnia expugnari poſſunt: hæ pignoris loco ſunt apud Remp. & amoris in Patriam; Ac qui rebus ſuis bene conſulunt, etiam publicis proſpecturos veriſimile eſt. Hinc optimo judicii ſale Titus Flaminius Theſſalorum civitatibus locupletiſſimos quoſque imperare voluit.

6. Electi Ephori jurant, ſe ex fide partes officii exequuturos, ac actiones ſummi Magiſtratus directuros in ſalutem to-

tius Reip. Sic conſuetudo apud Lacedæmonios mutuum juramentum Regibus & Ephoris ſingulis menſibus extorquebat: Reges pro ſe ipſis, Ephori pro civitate jurabant; Illi, ſe juxta præſcriptarum legum normam Reip. navem moderaturos: Hi, ſe firmum ac ſtabile Regi regnum tradituros, ſi juramenti fines non tranſiliret.

7. In hoc collegio Ephororum ſuffragia non tam ponderantur, quam quidem numerantur & per majorem eorum partem concluditur, & hoc modo collegium illud, non ſinguli de collegio, repræſentat univerſum Reip. corpus, ac majeſtatem non ſuperiorem cognoſcentem. Hactenus de conſtitutione, ordinis ratio exigit, ut, additâ primò principali eorum diſtributione, officium Ephororum perſcrutemur, quod quinque potiſſimum capitibus continetur.

8. Evitatis multorum diſtributionibus omnes Ephoros in duas ſpecies diſtribuimus: Sunt enim vel generales, vel ſpeciales, iique vel perpetui, vel temporales.

9. Generales Ephori ſummam totius regni & omnium ejus provinciarum tutelam & curam exercent. Ejuſmodi in Politiâ Iſraëliticâ fuerunt 70. Seniores. In Democratiâ Romanâ primò Tribuni Plebis,

Plebis, deinde in Monarchia Senatores: Hi Conſulum, illi Regum inſolentiam tanquam fræna inhibebant. Sic hodie in ImperioGermaniæ generales Ephori ſunt Electores, denique omnia ferè Europæ regna ejuſmodi habent Ephoros.

10. Speciales ſunt, quibus provinciæ, regionis, vel certæ regni partis tutela & cura delata eſt. Hi in territorio & finibus ſuæ fidei commiſſis tantam poteſtatem & jurisdictionem habent, quantam ſummus Magiſtratus in toto Regno, paucis exceptis. Tales apud Judæos erant tribuum ſingularum Duces & Principes, itemque Judices ac urbium Præfecti. In Politiâ Romanâ Præſides provinciarum, jure belli aut alio modo imperio adjectarum, quorum poteſtas tandem ſub ultimis Imperatoribus adeò labefactari cæpit, ut umbram tantum & inſignia prioris poteſtatis retinerent. Hodiè ejuſmodi Ephororum ratio obtinet apud Helvetios & in Hollandiæ civitatibus, in quibus *de Vroedſchappen* univerſum civium corpus repræſentant, ſicut in Tranſiſalaniâ *de Ghemeens mannen*, ut & in aliis Europæ Imperiis. Nunc de officiis Ephororum.

11. I. Officium eſt, ut conſtituant ſummum Magiſtratum: Eſſet enim difficultatibus quam plurimis & tumultibus ob-

noxium, ſuffragia ab omnibus ac ſingulis Reip. partibus exigere. Tutiſſimum idcirco tollendæ confuſionis remedium eſt, ut jus illud eligendi penes hos Ephoros reſideat, quibus ſe ſuaſque actiones omnes credit populus, atque ita factum eorundem univerſitatis reputatur. Hac ratione ſeptem illis Germaniæ Electoribus delata eſt facultas Imperatorem eligendi. Competit autem hoc jus illis, non ut ſingulis, ſed ut collegio.

12. II. Ut intra limites officii ac adminiſtrationis demandatæ contineant Magiſtratum à ſe conſtitutum, cuſtodiant, defendant & vindicent libertatem & reliqua jura, quæ populus ſibi reſervavit. Solet quippe potentia nullis vinculis coarctata plerumque ſe efferre in Reip. perniciem, ſed quò magis legum frænis, aut moderatione aliorum reſtringitur, eò diuturniorem ac ſtabiliorem regni conditionem reddit, ut teſtatur Ariſt. lib. 5. Pol. c. XI. Hinc non immeritò Theopompus Lacedæmoniorum Rex cum primus Ephoros Regiæ poteſtati objeciſſet, gloriatus fuit ſe firmamentum Regno induxiſſe.

13. Habent idcircò in negotiis arduis totumque regnum concernentibus conſulendi ac monendi poteſtatem: Quippe non

non ea, quorum labefactatione Reſp. detrimentum caperet, Rex ſua authoritate perficere poteſt. Sic Regibus Scotiæ nihil quod ad ſtatum regni attinet, inconſultis ordinibus permittitur. Buchananus *lib.* 8. *Hiſt. Scot.* Manifeſta autem hujus rei ratio peti poteſt ex naturâ mandati: Nam mandatarius (uti in Reip. adminiſtratione habetur Rex) ardua vel inſolita, de quibus expreſſum mandatum non habet, ſine voluntate mandantis ſuſcipere non poteſt. Memorabile eſt dictum illud Plinii ad Trajanum: *Tyrannorum eſt, publica negotia majoris momenti ad ſe ſolos revocare, ad Senatum autem ſeu Concilia publica nullius momenti res referre.* Hanc ob cauſam Tarquinius, teſte Liv. l. 1. ob ſpretum Senatus conſilium regno expulſus fuit.

14. Unde Ephororum eſt, iniqua, ſalutem ac jura populi oppreſſura ſummi Magiſtratus decreta, vel ſuis conſiliis intra rationis gyrum reducere, vel impedire: Quorum deficiente approbatione nulla vis decretis aut autoritas eſſe poteſt. Idcircò in publicis conſtitutionibus Cæſar profitetur, ſe conſenſu ac voluntate Statuum Imperii decreviſſe. Neque Reges Angliæ teruncium ſine Parlamenti conſenſu exigere poſſunt. Cominæus

M 5 lib. 4.

lib.4. Comment. Satis ex his patet, quanto in errore, quantâ in ingenii caligine verſetur Bodinus, illimitatam ac abſolutam poteſtatem Galliarum Regi attribuens, cum quicquid in Senatu Lutetiano definitum fuerit, ei ſtandum ſit, nec quicquam magni momenti, niſi ejus accedat approbatio, inſtituere poſſit: Imo eò uſque hujus Senatus poteſtas extenditur, ut contra ipſum Regem experiatur.

15. Sed omnis hodie difficultas tollitur per capitulationes ſeu leges fundamentales, in quas tempore initiationis ſuæ Rex jurare cogitur, in iiſque promittit, ſe ſine conſilio Optimatum Regni nihil in rebus arduis facturum. Germaniæ Imperator in electione jurat, *ſe latas leges cuſtoditurum, & novas inconſultis Electoribus non laturum, publicas res publico conſilio curaturum, nihil alienaturum vel oppignoraturum ex iis, quæ ad Imperium pertinent, &c.* Peſtilens ſane error eſt, quo ſtatuitur his juramentis non obſtringi Monarchas, ſed eſſe tantum ceremonias: Hæc opinio ſtruit viam ad tyrannidem, & quod ſi juramenta illa non ſint obligatoria, ipſa imperii fundamenta convelli neceſſe eſt.

16. Cùm igitur nullum fere regnum ſit, quod non certis legibus fundamentalibus

libus muniatur, quibus imperantium poteſtas dato juramento reſtringitur, quis dicet in Europâ, ſi Muſcoviam & Turciam excipias, abſolutam & nullis legum vinculis coarctatam eſſe Monarchiam?

17. III. Ut ſummo Magiſtratui ad Reip. adminiſtrationem vel propter ætatis, vel corporis vitium inepto conſtituant curatorem ſeu tutorem. Hic occurrit prima ex tribus cauſa congregationis Statuum in Galliâ: Etenim poſt mortem Caroli V. dicti Sapientis, convocati ſunt Status generales Lutetiam, ut proſpiceretur perſonæ Caroli VI. Regis per intervalla amentis & Regno; Et electi ejus rei cauſa tutores Duces Biturigum, Burgundiæ, & Andium. Hodie viduæ, matri pupilli regii, tutela uſque ad annum 14. non ſine magno errore committitur: violatur quippe Lex Salica, quæ omnes fæminas à ſolio ac regni adminiſtratione repellit.

18. Huic affine eſt, quod omnes pariter Ephori, vel ex illis aliqui tempore interregni vices ſummi Magiſtratus ſuſtineant, ne omnia tumultibus calamitatibuſque involvantur, deficiente capite, quibus interregnum ſuperfluit. Cæſare mortuo, Electoribus Palatino & Saxoni jus adminiſtrandi regni, cuilibet in certis partibus, concreditur.

19. IV. Ut ſummum Magiſtratum defendant, poteſtatem illius minuentes reprimant, vim & injuriam illi intentantes coërceant, conjurationes ac ambitionem ſubditorum impediant, denique caveant, ut Regiæ Majeſtati ſuus maneat honos ac reverentia.

20. V. Ut ſupremo Magiſtratui Majeſtatis juribus abutenti reſiſtant, eumque excuſſo legum divinarum, naturalium ac civilium fræno in corpora & bona ſubditorum graſſantem exauctorent ac ſolio deturbent. Meretricia enim Juliæ ad filium Caracallam vox: *Si libet, licet, an neſcis te Imperatorem eſſe, & leges dare, non accipere.* Quoniam nullus unquam populus tam ab omni ſpe & conſilio derelictus, ut poteſtatem ac licentiam effrænem in ſui perniciem regibus conceſſerit. Præterea Rex eſt propter Regnum, non vero Regnum propter Regem. Non hinc tamen exiſtimandum eſt, imperantium Majeſtatem ob Ephororum potentiam infringi aut minui, cum potius confirmetur. Nam Deus non eò minus potens cenſetur, quod per ſe peccare non poſſit: Nec eò minus aliquem ſanum putamus, quod medici ipſi aſſident, qui ipſum ab intemperie dehortantur. Cum nulla poteſtas detur ad malum, vel ad nocendum,

cendùm, ſed tantùm ad bonum & ad adjuvandum, atque ita ad ſubditorum utilitatem & ſalutem.

21. Nihil autem hanc poteſtatem reſiſtendi in Ephoros à populo collatam infringit natura pacti, quod inter Principem & ſubditos de præſtandâ obedientiâ intercedit: hæc enim obligatio deficiente ac violatâ eſſentiali ejus conditione evaneſcit, quæ agit de promovendâ imperii ſalute, eoque ſecundùm pietatis, fidei ac juramenti regulam exercendo. Huc referenda omnium ore digna vox Trajani gladium offerentis Præfecto prætorio: *Hoc gladio pro me utere, ſi juſtè imperavero; contra me, ſi injuſtè.*

22. Minimi etiam ponderis eſt Majeſtas imperanti conceſſa, cum prima & potior penes Ephoros nomine populi reſideat, cui tanquam ſuperiori obſtringitur: Quinimò conditionaliter eam accepit, ut demandati officii fines excedenti poſſit auferri, atque ita ad proprietarium, id eſt, populum revertatur. Hinc præclarè Princeps Hadrianus: *Se videlicet Remp. geſturum, ut ſciret rem populi eſſe, non ſuam.*

23. Datâ nunc reſiſtendi poteſtate, monendi ſunt Ephori, non prius reſiſtendum eſſe, quam tyrannis fuerit obfirmata, id eſt, cum certa ſigna apparent Principem

eſſe incorrigibilem, & ſine fructu ac emendatione ſui officii admoneri; Tum velut ad commune incendium ſtatim concurrant, ne malum per moram ingraveſcens ac vires acquirens curatu fiat difficile. Ita Wenceſlaus ab Electoribus & regni Statibus regno ejectus. Quod etiam accidit Chriſtierno Regi Daniæ.

24. Cum igitur regni Optimates poſſint ac debeant reſiſtere tyranno, ſi itaque ipſum ſuſpectum non fecerint, officium ſuum deſerunt, patriam lupo exponunt, ex paſtoribus fiunt mercenarii, ex defenſoribus Reip. proditores peſſimi, atque ipſis imperantis factum imputatur: Sunt enim contutores, quorum ſinguli de adminiſtrantis culpa tenentur.

25. Hæc pro ratione propoſiti, coronidis loco monemus, obſervandum hic eſſe: Ut Ephororum eſt curare, ne magiſtratus officii ſui metas tranſiliat, & potentia ipſius in licentiam degeneret, faciendo aut omittendo, quod non oportet; Sic ſummi Magiſtratus eſt curare, ne quis Ephororum in ſubditorum detrimentum ſeu regni perniciem convertat poteſtatem ſuam. Et ſanè illam beatam Remp. prædico, ubi hæc mutua correctio & cenſura mutuo amplexu oſculantur.

DIS-

Diſſertatio XXX.

De Seianiſmo Prima.

1. Seianiſmus eſt ſecta aulicorum, qui Principe ſuo ad opprimendam Rempublicam abutuntur.

2. Nomen accepit ab Ælio Seiano, equite Romano, qui cohortibus prætoriis præfectus, *Tiberium variis artibus devinxit adeò, ut obſcurum adverſum alios, ſibi uni incautum intectumque efficeret:* Non tam ſollertia, (*quippe iiſdem artibus victus eſt*) quam Deum ira in rem Romanam, *cujus pari exitio viguit ceciditque. Corpus illi laborum tolerans, animus audax, ſui obtegens, in alios criminator, juxta adulatio & ſuperbia; palam compoſitus pudor; intus ſumma adipiſcendi libido, ejuſque cauſa modo largitio & luxus, ſæpius induſtria & vigilantia, haud minus noxia, quoties parando regno finguntur.*

3. Talis fuit famoſus ille Seianus, conditor damnoſiſſimæ aulicorum ſectæ, quæ continua ſerie ad noſtra uſque tempora propagata, infinita mala generi humano intulit. Præcipue poſt Seianum in ea excelluerunt, ſub Franciſco II. Carolo IX. & Henrico III. Regibus Galliæ *Guiſiani*, ſub

ſub Ludovico XIII. *Ancreus*, ſub Jacobo & Carolo Regg. Angliæ, *Buckinghamius*. His tribus palmam in Seianiſmo tribuere non veremur. Quibus addenda eſt ex ſequiori ſexu *Philippa* Catanenſis, Seianiſmi ad miraculum perita, quæ Johannam I. Reg. Neapolitanam ad omne flagitium impulit. Ab his proximi fuerunt, Laco, Icelus, Vinius, ſub Galba. Meſſalina, Narciſſus, & Pallas, ſub Claudio: Euſebius ſub Conſtantio; Petrus Gaveſtonus, & duo Spenſeri ſub Eduardo II. Reg. Ang. Granvellani ſub Carolo V, & Philippo II. Dux Lermæ ſub Philippo III. ut cæteros omittamus. Nec noſtra ætas illuſtribus Seianis caret, qui per tot gentium ſtrages innotuerunt, ut eos nominare neceſſe non ſit.

4. Hi ſunt illi Seiani & origine & moribus & ſucceſſu & plerumque etiam vitæ exitu. I. *Origine*. Quemadmodum enim Seianus familia non illuſtri, ſed equeſtri tantum natus fuit: ita ejus ſectatores raro ultra vulgarem nobilitatem aſſurgunt, frequenter cum Euphormionis Callione, *Parentes habent æterna majorum vilitate, penè etiam extra viciniam ſuam notos*. Buckinghamius quis fuerit conſtat. Granvellani avus fabrum ferrarium apud Veſontionem egit. Philippa fullonis erat

uxor.

uxor. Ancræus obſcuræ familiæ. Dantur hodie Seiani, quorum parentes veredarii vel pileones fuerunt. II. *Moribus.* Sicut Seianus juventutem ſuam laſcivè, prodigè & inhoneſtè tranſegit; ita ejus ſectatores omnes ſunt aleatores, ſcortatores, biberii, Apicii, nepotes, decoctores, blaſphematores, contemtores DEI & verbi ejus, ac ut paucis omnia complectamur, *ἄθεοι καὶ ἄσωτοι.* III. *Succeſſu.* Nihilominus tales Seiani, quibus non modo Principum aula, quæ Reipublicæ ſacrarium, clauſa eſſe deberet, verum à quorum ſocietate omnes honeſti viri abhorrent, intimæ admiſſionis amici fiunt, ac Principes ſibi adeo devinciunt, ut nemo apud eos potentior ſit. Sic Claudius à libertis ſuis, ut à parvo Æthiope elephas, circumagebatur, ac quod de eo venuſtè dicebat Julianus Apoſtata; *abſque illis erat inſtar earum perſonarum, quæ in Comœdiis mutæ introducuntur.* IV. *Vitæ exitu.* Quem omnes ferè miſerum & cruentum habent. Sic Guiſii, Ancræus, Buckinghamius, Philippa, & alii plurimi.

5. Hic vero inquirere operæ pretium eſt, quibus artibus ad tantam poteſtatem Seiani emergant. Profecto variis, ſemper tamen malis, inhoneſtis, ludicris & voluptariis. De Ancræo tradunt quod arte ma-

te magica Ludovicum faſcinaverit. Buckinghamius arte ſaltatoria, & voluptatum magiſterio, Jacobum ſibi obnoxium reddidit. Sed audiamus prudentiſſimum ſcriptorem de Seiano: *non tam ſolertia* (quippe iiſdem artibus victus) *quam* DEUM IRA *in rem Romanam*. Sunt qui tales Seianos non niſi abſtruſa & miraculoſa prudentia devincire ſibi Principes ſuos eoſque animo ad Rempublicam gerendam capaci inſtructos, ab illis in laborum ſocietatem, boni publici ſtudio, aſſumi exiſtimant. Quorum ſimplicitatem paucis confutat Tacitus, dum inquit: *Non tam ſolertia*. Quæ ergo fuit cauſa? DEUM IRA *in rem Romanam*. Non minus piè quam accuratè ſummam primamque Seianiſmi cauſam eruit. Nihil occurrebat in rebus humanis, quo ſibi adeo devincire Tiberium Seianus potuiſſet. Ergo convertit oculos ad ſummum illud numen, quod cum omnia, tum Principes imprimis, & Reſpubl. gubernat; & ejus iram in Romanos, cauſam tanto malo præbuiſſe refert.

6. Et ita omnino res habet. Quotieſcunque Deus graviter iraſcitur Principi, vel Reipublicæ, tum juſto ſuo judicio laxat fræna ſceleratis hominibus, qui ſibi Principem occulto quaſi faſcino ita devinciunt,

ciunt, ut ſciens, volens, videns, ſentiens, ad exitium & ſuum, & Reipublicæ, graſſetur. Miraculum ſanè ingens, & cujus non magis, quam cur magnes ferrum trahat, reddi ratio poteſt, illos qui ante ſuſceptum Principatum ſumma ambitione imperandi flagrabant, mox pudenda metamorphoſi, omnem potentiam in homines nauci peſteſque publicas transferre.

7. Cæterum tales Seianos divinæ iræ ac erga res humanas indignationis inſtrumenta eſſe, multis rationibus oſtendi poteſt, quarum aliæ Principes, aliæ Rempublicam, aliæ ipſos Seianos reſpiciunt.

8. RESPECTV PRINCIPVM. I. Quia eos non aliter ac mancipia tractant, ludibrio habent, circumveniunt. Princeps ab illis

Flectitur, ut nervis alienis mobile lignum.

Numquamne vidiſtis circumforaneos, qui ligneis homunculis artem ſcenicam exercent? Tales poſt ſiparium latentes præſtigiatores ſunt Principum Seiani: ipſe autem Princeps lignea illa machina, quæ riſum ſpectantibus movet vel indignationem.

II. Quia fideles miniſtros ſenſim Principi ſuſpectos reddunt, variis artibus oppri-

opprimunt vel ſeponunt, ſuiſque clientibus regiam implent. De Seiano noſter: *Accendebat hæc onerabatque Seianus.*

III. Quia ipſum Principem ab intima publicarum rerum cognitione quam maxime excludunt. Nam tunc flagitia ſua tutò exercent, cum Princeps omnium rerum ignorantia & credulitate in ipſos laborat. Hoc quatuor potiſſimum modis aſſequuntur.

1. Summa ope adnituntur, ne quis Principem propius adire vel admonere poſſit. Hinc obſident fores omnes & aditus moloſſis ſuis, ac quos ſibi infenſos norunt, procul arcent.

2. Principem ſtudio ſolitudinis, quietis & voluptatum implent, ac ad venationis intemperiem impellunt.

3. Literas intercipiunt, Legatos & Oratores primo audiunt & nihil niſi quod placet, ad Principem deferunt.

4. Adulatores conducunt, qui Principem, felicem Reip. ſtatum ipſoſque certatim immodicis laudibus extollant.

IV. Quia Principem perpetua infamia ad omnem poſteritatem conſpurcant. Flagitia enim ſua & ſcelera cum Principe communicant, ac quod ipſi nefariè & infeliciter perpetrant, id à populo Principi imputatur ob duplicem rationem.

1. Quia

1. Quia intimâ Principis familiaritate utuntur. Quemadmodum Gobrias ita adhæſit mutuo amplexu Mago ut inclamaret, *trajici vel per meum latus:* Sic illi Seiani unum velut cum Principe corpus conſtituunt, ac ſi ſacra licet conferre profanis, Eliam imitantur, qui ſuſcitaturus mortuum puerum, *impoſuit os ſuum ori ejus, oculos ſuos oculis ejus, volas ſuas volis ejus.* Princeps igitur eorum clypeus eſt, peti non poſſunt niſi per illius latus.

2. Quia cum penes Principem ſit ſumma Reip. poteſtas, populus inde concludit, eo ipſo, quod Princeps non puniat tales Seianos, ſed defendat, non circumſcribat, ſed indies majorem poteſtatem iis largiatur, non à ſe arceat, ſed ſecum in conſilio, ſecum in cubiculo, noctu, interdiu, habeat, eum omnino ipſorum enormia ſcelera approbare participemque eſſe.

V. Quia Principem in ſummum & vitæ & regni diſcrimen adducunt. Hic jam plurima proferri poſſent exempla, ſed ſufficiat unum Eduardi II. Reg. Angliæ, quem Petrus Gaveſton & duo Spenſeri in extremas miſerias & lugubrem vitæ exitum conjecerunt.

VI. Quia Principem ad infamen paupertatem deducunt, idque divinæ iræ argumen-

gumentum evidens eſt, multa poſſidere & ſemper tamen egere. Vere igitur talis Princeps Tantalus eſt, qui videt opes ſuas, ſed non tangit, adeoque mediis in undis ſiti torquetur. Ita maximos videmus Reges & Principes tot provinciarum & ditionum opibus vix aulam ſuam poſſe ſuſtentare. Inſtar Eriſichthonis laborant inopia: cum Seiani noſtri interea opes vel accumulent avare, vel per luxuriam prodigant.

VII. Quoniam tales Seiani Principem ſpoliant amore & affectu erga ſuos ſubditos. Impoſſibile eſt ut Princeps Seianiſatus poſſit amare ſubditos ſuos, multominus ab illis amari. Quo vinculo mutui affectus & amoris ſemel diſſoluto, dici non poteſt, nec ſatis deplorari, quam triſtes conſequantur effectus ac miſerabiles caſus. Princeps deſtitutus affectu ſubditorum, velut moles ſine nervis jacet. Quid enim agat ſine illis? Eorum opibus eſt dives, eorum multitudine fortis ac tutus: Sine illis & pauper & contemtibilis, & maximo periculo expoſitus. Subditi deſtituti affectu & amore Principis ſui, velut herbæ ac arbores, recedente Sole languent, & expoſiti ſunt injuriis ſceleratorum hominum, vicinorum inſultationi, hoſtium prædæ. Sunt oves ſine paſtore, exer-

exercitus ſine duce, navis ſine rectore, corpus ſine anima. Ita artibus Seianiſmi corpus ſe paratur ab anima, exercitus à duce, oves à paſtore, navis à rectore, & conſequitur totaliſque interitus Reipublicæ vel miſeranda converſio.

VIII. Quoniam tales Seiani indicium ſunt ac argumentum Principes illos traditos à Deo in reprobum ſenſum, corde & affectibus induratos, immobiles & ſine ſenſu communi, ſine judicio, quos neque ratio amplius flectere poteſt, neque preces & obſecrationes Subditorum emollire. Redduntur inſtar ſtatuæ uxoris Lot, aures habent & non audiunt, oculos & non vident, linguam & non loquuntur, manus & non tangunt, pedes & non ambulant. Sunt inſtar leproſorum, non ſentiunt amplius, ne puncti quidem. De his verum eſt, quod Lycurgus in oratione contra Leocratem pronunciavit:

Iratus ad pœnam Deus ſi quos trahit,
Auferre mentem talibus primum ſolet,
Caliginemque offundit, ut ruant ſuas
Furenter in clades ſibi quas noxiis
Accerſiverunt ultro conſiliis malis.

DISSERTATIO XXX.

De Nominibus, Terminis, Temporibus Imperiorum fatalibus.

1. ESse nomina, tempora, loca, Imperiis decretoria & fatalia, ſi non evidentibus argumentis, at certa & frequenti hiſtoriarum omnis ævi luce demonſtrari poteſt. Quoties idem, quod auſpicium potentiæ primum nomen fuit, poſtea ruinis & everſione regnorum illuſtratur? Quoties flumen, mare, mons, oſtendunt, neminem impune Providentiam divinam, utcunque magno exercitu, laceſſiſſe? Quoties ſtatis diebus, menſibus & annis, circumacta Imperiorum fata ſunt? Ac duo poſtrema certum in divino conſilio & deſtinatione fundamentum habent. Nam & Deum certos hominibus habitationis terminos conſtituiſſe, & unicuique regno ſuum diem ultimum eſſe, dubitari non poteſt. Magis mirum, quî nomina quoque concordent, ut Conſtantinos in Thracia, Philippos in Macedonia, Henricos in Portugallia, cœpiſſe & deſiiſſe videamus. Exempla ſunt innumera, quorum aliquot tantùm proferemus. Pauſaniæ in Atticis maximè mirandum videtur, *omnes ex Æacidarum gente & no-*

nomine, divinitus oblata nece occubuiſſe. Idem de Cæſarum familia obſervant antiqui. Darius Hyſtaſpis regni Perſici inſtaurator, quod Darius Codomannus finivit. Sub Conſtantino Magno Imperium Byzantinum cœpit, ſub Palæologo deſiit. Sic Balduinus Latinorum in ea urbe primus pariter ac ultimus Cæſar. De Auguſto & Auguſtulo res nota. Similia ſunt quæ de Rogeriis & Ferdinandis in Sicilia, Franciſcis ex Sforziarum familia, Chilpericis inter Merovingos & apud Peruanos Manconibus Incis traduntur, ut alia brevitatis ſtudio, multa & inſignia, omittam.

2. Dum nomina Imperiis fatalia dico, non de illis tantum cum quibus potentia cœpit & deſiit, ſed & quæ præ cæteris auſpicata vel inauſpicata fuerunt, intelligendum eſt. Sane pleraſque apud Hiſpanos mutationes ſub Ferdinandis accidiſſe videmus. Saracenicam potentiam Muhammedi exercuerunt. Richardos in Anglia cruentus exitus omnes excepit. Quis Henricorum nomen in Gallia funeſtum, quis Scotorum Jacobos ignorat? Nobis impræſentiarum conſtitutum eſt de Ferdinandorum & Philipporum apud Hiſpanos, Richardorum apud Anglos, proſperis vel adverſis agere.

3. FERDINANDVS nomen Hiſpanis

ſemper auſpicatiſſimum fuit. Cum illo regna cœperunt, & in immenſum aucta ſunt. Caſtiliam conſtat ſub regno Legionis uſque ad Sanctium primum delituiſſe, cujus nomine præfecturam *Ferdinandus* Conſalvus geſſit. Huic debita Caſtiliæ magnitudo volentibus fatis deſtinata fuit, & prima fundamenta, non alio munere quam Equo & accipitre jecit. Equum & accipitrem præſtanti ingenio habuit. Cum Legionem veniſſet, placuit Sanctio Equus, placuit & accipiter. Nec mora, mercatur utrumque ea conditione, ut ad certum tempus non ſolutum pretium indies duplicaretur. Sive tanta fuerit ærarii inopia, ſive penes regios miniſtros culpa non exhibitæ ſummæ hæſerit, ſatis conſtat eo uſque auctam ſummam, ut pro redimendo nomine, Sanctius Caſtellam titulo Comitatus Ferdinando & ejus poſteris concederet, quod factum A. C. IↃCCCC XXXIX.

4. Sic Caſtella ſub *Ferdinando* cœpit aliquid eſſe; & paulo poſt in regni ſpeciem excrevit ſub alio Ferdinando. Nam cum maſcula Comitum ſtirps defeciſſet, *Sanctius* Navarræ Rex, ducta Nugna Comitatus hærede unica, eam A. C. CIↃ VIII. Pyrenæo ſceptro adjunxit, & poſtea regni titulo Caſtellam Ferdinandus filius ejus

ejus anno c I ɔ x x x I v. obtinuit.

5. Jam primum Caſtellæ Comitem Ferdinandum, & ejuſdem nominis primum Regem habemus. Mare eadem flumina recipit quæ fundit. Non poterat Caſtilia dememiniſſe Originis ſuæ & antiqui Domini. Redit igitur ad Legionem, ſed per fatalem Ferdinandum. Is tum, tertius hujus nominis, apud Aſtures regnabat, & virtute ſua, matris prudentia, Caſtiliam perpetuo vinculo Legioni conjunxit. Nulla ætas impoſterum capita hujus Gordii nodi diſſolvit. Manſit unita Legioni Caſtilia, & quaſi jam præluderet Majeſtati ſuæ, primum locum inter omnia Hiſpaniæ regna ſibi vendicavit.

6. Parum ſibi *Ferdinandus* egiſſe videbatur, Caſtilia Legioni conjuncta. Adhuc Mauri Cordubam inſidebant, & fertiliſſimos Andaluziæ campos Saracenicus vomer premebat. Eo igitur impetum vertit, & quæ nullis hactenus viribus conceſſerat, caput gentis Cordubam A. C. cIɔ cc xxxvI. expugnat, reliquiis Maurorum in Bœticam fugatis, ubi novum Granadæ regnum excitant, donec & eos ibi fatalis *Ferdinandus* inveniat.

7. Is Aragonia ſtirpe ortus, Hiſpaniam eo potentiæ provexit, quanta hodieque univerſum Orbem implet. Quid

in ſola Granada moror? Navarra, Neapolis; & novus ad occidentem, priſcis incognitus orbis, huic debetur. Ut mirari nemo debeat, ſi ipſi Magni nomen adſcripſerint poſteri; & Hiſpanica Monarchia citius in omnes ſe extenderit partes, quam cœpiſſe intelligeretur.

8. Nec de artibus loquor quibus tanti menſuram nominis implevit. Satis conſtat perfidum fuiſſe & omnia ex proprio commodo metitum. Vide enim quam Navarram & Neapolim nullo jure invaſerit. In Navarra Johannes Albretanus regnabat, Francorum Regi fidus & addictus. Hæc prima ejus regni labes. Ferdinandus, ut nihil ambitioni, omnia ſacris & conſcientiæ tribuere videretur; fulmen Julii ſecundi, qui Regem Franciæ cum omnibus fœderatis, inter quos etiam Navarrus, excommunicarat, bello prætextum ſumſit. Exercitu quaſi in Mauricam expeditionem collecto, in Francos converſus, liberum per Navarram tranſitum petit, & in fidei pignus munitiora regni loca. Hæc non impetrandi ſe, ſed materiam bello. Negatur ergo utrumque: Ferdinandus imparatum Johannem, toto regno exuit. Acquiſitum armis & per vim, iiſdem contra Francos fruſtra repetentes, Hiſpani hactenus aſſeruerunt.

9. Lon-

9. Longe iniquior Neapolis invaſio, ubi & fœderis & ſanguinis jura, nullo Dei metu, ſcelere & ambitione fœdus ac maculoſus, violavit. Cum Carolus VIII. Neapolin bello premeret, miſſus Aragoniis auxilio cum quibuſdam copiis Magnus Conſalvus. Prima hæc perfidia;cum Ferdinandus recepto Perpiniano & Ruſcinonenſi Comitatu, nihilominus cœptam Caroli VIII. expeditionem interturbaret & inſuper in Septimaniam irrumperet. Nec confecto bello Conſalvus exceſſit, cauſatus id ſibi tantum à Rege ſuo imperatum, ut Friderico & regni ſaluti conſuleret. Mox cum Ludov. XII. clam novum fedus percuſſit de occupando regno Neapolis, ita ut Gallo Brutii & Campania, ſibi Apulia & Calabria cederent. Ignarus omnium Fridericus, cum hinc apertus hoſtis, inde proditor Conſalvus urgeret, toto regno ſine mora exuitur. Conſalvus Calabriam velut defenſurus eam contra Gallos, invaſit. Friderico, inter execrationes perfidiæ, ſatius viſum fuit hoſti, quam proditori, fidere: Ludovico ſe ſuaque commiſit. Hiſpanis grande perfidiæ lucrum regnum manſit, ac tota ejectos Neapoli Gallos paulopoſt ultra Alpes relegarunt.

10. Neque his terminis Ferdinandi

ambitio & ſucceſſus ſe continuerunt. Novum ecce orbem Hiſpaniæ Chriſtophorus Columbus, ſpretus à Genuenſibus ſuis, à Luſitanis & Anglis irriſus, aperit. Tunc Medeæ vaticinio ſatisfactum:

Venient annis
Secula ſeris, quibus Oceanus
Vincula rerum laxet & ingens
Pateat tellus Typhiſque novos
Detegat orbes, nec ſit terris
Vltima Thule.

Tam admirabilis fortuna pares Ferdinando titulos peperit. Catholici Regis nomen, non in faſtum modo ſed & Monarchiæ præſagium, aſſumſit.

II. Vidimus omnia Caſtiliæ incrementa Ferdinandis deberi. Ut illud nomen merito ſacrum & fatale Hiſpanis ſit. Nec quicquam ferè auſpicio Ducum feliciter geſtum eſt, niſi quibus Ferdinando nomen fuit. Granadam, & Neapolim *Ferdinandus* Conſalvus Cordubenſis, flos ille Ducum & Magnus Imperator, ſubegit. Nec Mexicanum & Peruvianum Imperium ab aliis debellari potuit, quam fatalibus *Ferdinandis* Cortezio & Pizarro. Nota *Ferdinandi* Toletani Albæ Ducis felix militia. Qui, ut ut Belgium amiſerit, Luſitaniam tamen, id eſt dimidium Monarchiæ Hiſpanicæ, intra

tra dies non multos Caſtiliæ adjecit.

12. Quemadmodum plantæ ex ſuo ſolo in alias terras tranſlatæ, ingenium mutant, ita ut nonnullæ venena quoque vel aſſumant vel deponant; Sic non eadem nominum ubique ratio. Quis non miretur mirabiles Providentiæ Divinæ varietates? Quod nomen Burgundis & Auſtriis proſperum eſt, in Hiſpania degenerat. Contra Hiſpaniæ felicitatem Germania deſtituit. Ferdinandos & Philippos teſtes produco. Satis conſtat ita inſtitutam nominum mutationem, ut Hiſpanis Philippi, Germanis Ferdinandi ceſſerint. Sed mutata cum ſolo fortuna fuit, & nihil in Hiſpania Philippis, in Germania Ferdinandis infelicius eſt.

13. PHILIPPUS nomen Burgundis & Auſtriis fortunatum. Sicut enim *Philippus* Audax, à Carolo V. Franciæ Rege fratre Burgundias obtinuit; ita nepos ejus *Philippus* Bonus ampliſſimum Imperium condidit, univerſa propemodum Belgica in unum corpus redacta & Burgundiis ſuis adjecta. Poſtea *Philippus* Pulcher Maxæmyliani I. Imp. filius Auſtriam nobilitatem Burgundiæ, mox conjugio Johannæ Ferdinandi & Iſabellæ filiæ, Hiſpaniæ intulit. Primus hic Auſtriam, Belgium & Hiſpaniam, connubio & ſanguine

junxit. Sed quam in Auſtria & Belgio felicitatem ſenſerat, Hiſpania deſtituit. Vix eam ingreſſus erat, cum poſt ſex menſes, & ut videtur, artibus Ferdinandi ſoceri ſui, incertum veneno an alio caſu, Burgis perit. Ab eo tempore Hiſpanica Monarchia ſub Philippis paulatim corruere cœpit.

14. Enimvero multis abſurdum videbitur *Philippum* II. infelicibus accenſeri. Quod quidem probatu haud difficile, ſi vel ſolam Belgii jacturam conſideremus, in quo ipſa Hiſpanicæ Monarchiæ fundamenta concuſſa ac labefacta ſunt. Et, ſi Luſitaniam excipias, quid Philippo huic proſperè ceſſit? quid non infeliciter? Nec alio teſte opus habemus. Ecce ipſum fatentem, *ſe* 5594 *auri myriadas inutiliter conſumſiſſe, nec ullum aliud tantæ operæ pretium ſupereſſe præter Luſitaniæ regnum, quod tam facile amitti poſſit quam cito concepta de Franciæ regno ſpes evanuerit.*

15. Eo ingenio *Philippus* II. fuit, ut non acquirendis ſed perdendis regnis natus videretur. Rem per partes oſtendam. Sicut Pater Carolus V. ſummam Monarchiæ Hiſpanicæ in Germania, Gallia & Italia: ſic Philippus in Anglia & Gallia poſuit. Angliam primo nuptiis ſanguinolen-

lentæ Mariæ invaſit; ſed adeo infeliciter, ut ab Anglis non obſequium, ſed riſum & opprobria reportarit. Quippe non aſſuetis, nimius ille faſtus & rigor videbatur. Southamtoniam appulſus, quamprimum in terram exſcenſionem fecit, ſtricto ferociter enſe, velut novus Conqueſtor ex Normannia, inſulæ terrorem injecit. Diceres eum *poſſeſſionem*, ut Hiſpani loquuntur, *capere*. Progreſſus nudo ferro Conſulem oppidi obvium habet, claves humiliter offerentem. Quid Philippus? Remoto in lævam enſe, dextra claves per ſilentium arripit, nullo humanitatis ſigno edito. Tantum rigido vultu, ne ambire videretur, proceſſit. Quid mirum Anglos talium inſolentes, etiam Regis nomine abſtinuiſſe, cum eum Reginæ maritum, non abſque ſalſo riſu, appellarent?

16. Hæc Hiſpanica gravitas Philippum in Belgio quoque exoſum reddidit, quæ prima alienati populi cauſa fuit. Audiamus Jeſuitam Stradam: *Vbi venit ab Hiſpania Philippus, Hiſpanorum procerum corona ſeptus, ac domi foriſque impenetrabilis, nimia eorum apud Regem gratia offendi paulatim Belgæ; inde in mores, quorum ubique retinens eſt Hiſpa-*

norum natio, transferre odia; demum ab Rege ipſo, quem Patris diſſimilem indignabantur, ſenſim abalienari. Nam Cæſar aditu facilis alloquioque privatum in modum demittebat ſe, ſecurus ubique Majeſtatis ſuæ. Atque ut erat verſatili ad omnia pariter ingenio, mores exteros ita induebat, ut non minus cum Germanis Germanum ageret, Italumque cum Italis, aut cum Hiſpanis Hiſpanum, quam Belgis ſuis ſe Belgam præſtaret. Philippus contra & eſſe & videri omnibus Hiſpanus: parce loqui, nec niſi Hiſpanicè, publico libenter abſtinere & quaſi ex abdito venerationem intendere; de veſtitu deque cætero cultu quem attulerat ab Hiſpania, nihil immutare. Id vero commotis ſemel animis, ſuperbia & contemtus habebatur; perinde quaſi ea morum diverſitate ipſi faſtidirentur. Ferebaturque admonuiſſe ea de re filium Cæſar. Hæc Jeſuita.

17. Quæ ſatis oſtendunt infelicem Philippum neſciiſſe artes imperandi aliis præterquam Hiſpanis ſuis. Unde neutiquam mirum apud Anglos & Belgas eum fruſtra fuiſſe. Nam hilaris & aperta earum gentium frons, non poteſt illud triſte, ſuperbum ac ſuſpicax Hiſpaniæ ſupercilium ferre. Et quid agas, ubi ſemel Princeps ani-

animos populi ſui amiſit? Tunc quidem precario eum regnare & faſtidiri, ac quovis etiam levi caſu dejici poſſe, neutiquam dubium eſt.

18. Non hoc ignoravit *Philippus*. Ideo diffiſus voluntati Belgarum, nonniſi Tyrannide, præſidiis, vi, metu, inquiſitione, ſe poteſtatem lubricam ſtabilire poſſe credidit. Miſer! Tyrannidem quidem in Belgio exercere nemo poteſt, niſi excisis Belgis. Vim ſi adhibeas privilegiis, bonis, vitæ, & quæ inſtar omnium eſt Religioni & libertati ipſorum, vim ſtatim opponent. Metus alio metu ibi coërcetur. Tractari debent illi ad Oceanum Germani arte quadam, & omne præterquam patrium ac ſuave Imperium, abominantur. Hoc ſi agas, tum verum eſt illud Caroli V. *Nullos eſſe populos modo paternè habeantur, qui ſervitutis nomen magis execrentur & magis patiantur quam Belga.*

19. *Philippus* in Hiſpania Belgarum fortunas & vitam internecioni deſtinat & hoc pluſquam ferreum decretum, ſanguinolenta inquiſitionis machina, exequitur. Quis ille miſerrimorum civium clamor? Quid ignes comburendis hominibus ſibi volunt? Quid miles, propugnacula, & odium publicum Granvellanus?

nus? His veluti gradibus ex ſummo Principatus Belgici faſtigio deſcendit Philippus, impellente ruentem jam & afflictum Wilhelmo Naſſavio, Ordinibus vero Hagæ imperium infelici, ſed ſuperbo, ſed Tyrannico, abrogantibus. A. cIɔ Iɔ LXXXI.

20. Hanc jacturam ut reſarciret, ignominiam ulciſceretur, nihil non egit & molitus Philippus fuit, ſed eodem ubique fato uſus. Tandem claſſibus ſuis maria ſtravit, Oceanum milite alter Xerxes implevit, Britanniam, olim littoribus noſtris avulſam, denuo juncturus. Sed & hanc falſo appellatam invincibilem claſſem.

Vicit hiems, laxis laterum compagibus omnes
Accipiunt inimicum imbrem rimiſque fatiſcunt.

21. Nihil nunc de miſerabili exitu quem Philippus habuit, dico, qui σκωληκόβρωτος factus, inter immania tormenta, monumentum Tyranni divinitus puniti, inſtar Herodis, exſpiravit. Nec fortunatiorem terris reliquit hæredem Philippum III. filium, hic Philippum IV. ſub quo Monarchia Hiſpanica *ruit impete magno*, Luſitania cum Indis avulſa, ut prætercam quæ in Belgio, Italia, Ger-

Germania amiſerit. Tument adhuc à recenti ſeditione Neapolitani, Sicilia, Sardinia, frænum mordent. Catalonii pluſquam Saguntina conſtantia ſe & libertatem partam tuentur. Ac niſi Gallos civilis belli furor occupaſſet, quantum Philippo in Belgio immineret damni, quantum in Italia? Tum extinctus unicus tanti Imperii hæres, deplorata Philippi valetudo, quid portendunt aliud præter imminentem ruinam vel gravem Hiſpanicæ potentiæ converſionem?

22. RICHARDUS nomen Anglis fatale. Omnes Richardi Reges, violenta morte perierunt. *Richardus I.* cognomento *Cor leonis*, Princeps nulli virtute inferior, ſagitta percuſſus in obſidione arcis cujuſdam periit. *Richardus II.* ab Henrico IV. Ordinum conſenſu regno deturbatus, miſerabilem exitum habuit. Et quanquam authores non conſentiant in genere mortis, omnes tamen explodunt Hectoris Boëtii fabulam, qui in Scotia profugum obiiſſe ſcribit Strivelingiæ. Plerique fame necatum tradunt, & addit Polydorus *fabulam Tantali in hoc infelici Principe impletam.* Singulis diebus fercula ipſi appoſita; ſed prohibitus ea fuit guſtare. *Richardus III.* immanis Tyrannus

nus in prælio apud Boſworthiam cæſus ab Henrico VII. dignum vitæ exitum habuit. *Richardus* Dux Cornubiæ & Rex Romanorum in obſidione caſtelli cujuſdam occubuit. Ita *Phil. Melanchthon* in Chronico, confundens hunc Richardum cum primo. Nam Annales Anglorum dolore animi obiiſſe volunt. Nihil nunc dico de Pſeudo-Richardo ſub Henrico VII. nihil de Ducibus, Comitibus, nobilibus aliis, quorum innumeri violenter extincti.

DISSERTATIO XXXI.

De Academiarum per Occidentem inſtauratione.

1. POſt fatalem Romani Imperii Barbarieis irruptionibus diſſipationem, cum Occidentis provincias Scythæ, Orientem Saraceni, velut Martia tempeſtas, horrendum in modum diriperent, magna ingenia ceſsêre ac blandiente inertia, omnis literarum & eruditionis ſplendor penitus extinctus periit.

2. Et quanquam Carolus Magnus, per Albinum Alcuinum, præruptæ & urgenti barbariei ſe utcunque opponeret: ipſo tamen defuncto, propter Hunnicas vaſtitates & Normannicas, cum decus publicum

cum

cum paucis curæ eſſet, adeò omnis per Europam elegantiâ degeneravit, ut circa nonum à nato ſervatore ſeculum, exoleſcentibus planè veterum inſtitutis ac ſecordi paſſim deſuetudine ingenia oblimante, prodigioſæ univerſum orbem Chriſtianum tenebræ occuparint.

3. Quæ quidem divinarum pariter atque humanarum rerum ignorantia, ſicut Religionem in ſuperſtitiones & inania doctrinarum corrupit: ita Remp. immanitate & incuria recti, juxta periculoſo, contaminavit, ut *neque Deo qui ſunt Dei, neque Cæſari quæ ſunt* Cæſaris, amplius redderentur, ſed homines, procul pietate & juſtitia, Læſtrigonum inſtar, omni Ponto & tempeſtate feriores, velut pecora, vitam tranſirent. Quæ barbaries continuis Chriſtianorum inter ſe ac contra Saracenos bellis ita invaluit, ut Germania (nihil enim de cæteris regionibus dicere conſtitui) nil niſi magnum latrocinium eſſet.

4. Imperatoriam tum temporis Majeſtatem Fridericus Ænobarbus, juſtitia & fortitudine ante alios juxta magnus Princeps, exercebat. Qui rem animo pulcherrimam agitans, Herculeo auſu, amiſſa Reip. decora, vindicare aggreſſus, id ſibi imprimis credidit negotium dari,

ut

ut cum ditione nutuque, maria, terras, pacem, bella, regeret, extinctam in ſocietate hominum, eruditionis ac literarum cupidinem, reſuſcitaret. Ita enim ſecum ratiocinabatur ſapientiſſimus Cæſar: Non opes, non exercitus æque valida atque eruditionem & honeſtiſſimarum artium ſcientiam, Imperii præſidia eſſe ac munimenta.

5. Quare ſolennibus apud Placentiam Italiæ urbem, in Roncaliorum planitie Comitiis habitis, inter ſecretiores ac divinas pro Imperio curas, ſuper eo imprimis in Procerum Senatu anquiri voluit: *qua ratione non Religioni minus quam Reip. impoſterum ſaluberrimis legibus ac inſtitutis utiliter proſpici poſſet.* Quibus cum adſenſu auditis, omnium ſententia nihil ad humanitatem ab interitu vindicandam viſum fuit potius, quam ſi præferoces Germanorum animi & in Martem ac mortem adeo proni, mitiore cultu manſueſcerent. Literarum igitur ſepulta jam aliquot ſeculis ſtudia, pulſis ignorantiæ & deſidiæ dehoneſtamentis, in lucem revocare placuit ac ejuſmodi excitare collegia, ubi honeſtis ſermonibus ad omnem virtutem, & ſcientiam, mobiles adoleſcentium animi imbuerentur.

6. Cæterum in eo imprimis totius nego-

gotii difficultas verſabatur, quibus delinimentis exulceratæ juvenum mentes ad ſanitatem revocari poſſent, ut relicto otio labores, ablegatis voluptatibus virtutem, ſpreta ferocia manſuetudinem, exuto ſquallore elegantiam antehaberent. Ita enim ferè in rebus mortalium fieri ſolet, ut non niſi præmiis & gloriæ cupidine ad præclara & ærumnoſa plerique commoveantur. Et quanquam in arduo ſpes eſſet, propter aſperrima temporum & longam truculentiæ aſſuetudinem: Imperator tamen ne publicis ulla re commodis deeſſet, novam iniit & hactenus inuſitatam excitandi ſtudia rationem.

7. Immunitates ejuſmodi indulſit, quibus quæſitiores tum quidem expetere aut deſiderare nemo poſſet, gnarus creſcentibus ſtudiorum pretiis, etiam ipſa propediem reditura. *Dignum namque* Cæſar *exiſtimabat, ut cum omnes bona facientes Imperatoriam laudem & protectionem omnimodo mereantur: quorum ſcientia totus illuminatur mundus & ad obediendum Deo ac ejus miniſtris vita ſubjectorum informatur, quadam ſpeciali dilectione ab omni injuria defendi.*

8. In quem finem ne divinos unquam conatus oblivio & neglectus deſtrueret, ac ut in poſtfuturos quoque beneficium com-

componeret ſua Majeſtate dignum, famoſam illam publicavit Authenticam, quæ Codici Juſtinianeo inſerta, hodieque omnium Academicarum Univerſitatum decus & præſidium eſt, qua non honores modo eruditorum & dignitates, ſed libertas, ſed ſalus, ſed ſecuritas fundatur. Quod enim Spartanis fuerunt inſtituta Lycurgi, Athenienſibus præcepta Solonis, & in Romana Rep. duodecim tabulæ: hoc jure merito in hanc uſque diem Academiis, Friderici authentica eſt, fons & origo omnium, quæ poſtea Ordini noſtro à Regibus, Principibus, Rebuſpublicis, indulta ſunt privilegiorum.

9. Complectitur autem duo ſumma Academicæ libertatis capita, ſecuritatem & optionem fori. Illa ſtudioſorum innocentiam ab omnibus quæ vel perſonæ ipſorum vel bonis inferri quocunque obtentu terra marique poſſunt, injuriis ac detrimentis, defendit. Hæc, etiam criminum reis ac nocentibus, judicis qualem cauſæ ſuæ convenientiſſimum arbitrarentur, eligendi poteſtatem clementer indulgebat. Ut quæ ſtudiorum curſum vehementer tum impediebant ſingula, quod omnes viæ, flumina, regiones, innumeris vectigalibus, tributis, oneribus, obſeſſæ, ac ipſi peregrinantes variis male-

maleferiatorum injuriis ac periculis ſubjecti eſſent, ea gratioſè his indulgentiis tollerentur univerſa.

10. Et cum propter paucitatem, quæ illo ſeculo erant, Univerſitatum, longinquæ ſtudioſis in Galliam, Italiam, Britanniam, disjunctiſſimas terras, ſuſcipiendæ eſſent peregrinationes, eorum & ſecuritati proſpicere voluit Piiſſimus Imrat. & immunitatibus conſulere: ne quiſquam vel periculi metu abſterritus animi & ingenii cultum negligeret, vel ſumtuum mole ac expenſarum gravatus, præclariſſimum incœptum deſereret: vel injuriis ac iniquitate inter peregrinos oppreſſus, domi ignavus deliteſcere quam in exteris oris & hoc litterario quaſi exilio ſcientiæ theſauros acquirere ac vel tralatitia Muſas peregrinatione dignari mallet. *Quis enim eorum*, inquit Cæſar, *non miſereatur, qui amore ſcientiæ exules, facti de divitibus pauperes, ſemet ipſos exinaniunt, vitam ſuam multis periculis exponunt, & à viliſſimis ſæpè hominibus (quod graviter ferendum eſt) corporales injurias ſine cauſa perferunt.*

5. Quæ cum ita ſint, quis dubitet Imp. Fridericum primam ſtruxiſſe ad Academicas libertates, viam & gradum. Hic nimirum fuit Jaſon ille qui aureum ſcientia-

tiarum vellus, draconibus & ignivomis tauris eripuit. Hic Hercules & Theſeus, qui obſeſſis undique à latronibus & iniquiſſimo hominum genere, litteratis ad Parnaſſum & Heliconem, aperuit aditus. Hic pius Æneas qui harpyarum infamem faceſſere juſſit ingluviem, quæ omnia diripiunt unguibus ſuis & immundo contactu nefarie fœdant. Quod in hanc uſque diem bonis noſtris, velut ſalutarem teſſeram inſcribimus BONA STVDIOSORVM, ad cujus tanquam Gorgonis conſpectum illi excuſſores diffugiunt, uni ac primo Friderico debemus beneficium, cujus etiam ob id manet manſurumque eſt Imperii decus in animis hominum, æternitate temporum, fama rerum.

12. Sed non ſatis erat expurgaſſe viam, qua ad litteras & humanitatem iretur, niſi etiam ipſa eruditionis & ſapientiæ templa, ſanctam & inviolabilem obtinerent authoritatem. Atque hoc alterum authenticæ caput, neque aliud amplius aut diffuſius Imperatoris noſtri ergà ſtudia meritum eſt. Nam non modo ſecuritatem ab omni, quamdiu in itinere eſſent, injuria, verùm multo magis, poſtquam ad ipſa loca doctrinæ conſecrata veniſſent, præſtari illis voluit clementiſſimus Cæ-

ſar,

ſar, libertatem. Procul à Leonis X. perfidia, qui Legato veniendi, non vero manendi vel abeundi facultatem ſe dediſſe, cavillabatur. Ergo optionem inſuper fori ſtudioſis indulſit, ut in crimine aliquo deprehenſis & propter litem conventis, vel Magiſtrum ac Profeſſorem, vel Epiſcopum civitatis, cauſæ ſuæ judicem deligere, indiſcretum eſſet. Ita ut non tenerentur immoto & fixo tribunali ſeſe ac innocentiam ſuam ſubjicere, verum libertas ipſis, qualem potiſſimum vellent, eligendi relinqueretur.

13. Cujus quidem inſtituti duplicem Cæſar habuit rationem, cur id non ad dignitatem modò litterarum, verum etiam neceſſitatem ſpectare exiſtimaverit. Una quidem ex illorum temporum infelicitate profecta; quod cum penitus extincta jacerent ſtudia, pauciſſimi etiam in primariis urbibus, in oppidis ac agro pene nulli reperirentur, qui ulla humanitatis cognitione, non dico imbuti, ſed vel leviter tincti eſſent; plerique ultra Virgilianos upiliones & bubſequas ruſticani? Ac quod vulgo dici ſolet, *ars non habet oſorem niſi ignorantem*, idem tum quoque accidit. Prætores illi & judices, indocti homines, litteratis plerumque minus ſe exhibebant æquos. Noluit ergo Cæſar illorum

lorum lubidini Academicorum innocentiam exponere ac contumeliis. Sed accedebat alia etiam cauſa, quod cum infinita juris municipalis ſit varietas, peregrini facilè circumveniri, ſive legum ſive linguæ, ut alienarum, inſcitia, poterant. Cui malo provide per illam fori optionem litterarum Sectatores eximebantur.

14. Ita cum clauſos hactenus ſcientiæ campos aperuiſſet Fridericus, amiſſæ eruditionis reciperator, ſucceſſorum ſuorum curas & alacritatem ad ſtudia porro promovenda, impenſius inflammavit. Cœperat ille intermortuas penè Muſas reſuſcitare, reliqui languentes foverunt. Primum ipſe lapidem poſuit, reliqui columnas & periſtylia & Numidicas cruſtas addidêre, donec in hunc, quem videmus hodie, ſplendorem, artium & ſcientiarum templa exurgerent, neque ullum magno Principe & immortalitatem merituro impendii genus dignius exiſtimabant, quam quod erogaretur in litteras. Imprimis Fridericus II. hanc avi ſui magnificentiam, regia clementia imitatus, Neapolitanæ Academiæ, præter alia quæ apud Petrum de Vineis prolixè commemorantur, ingens hoc largitus eſt privilegium: *Quod omnes ſcholares in civilibus,*

bus, ſub iiſdem Doctoribus & Magiſtris conveniri debeant.

15. Nimirum illa à primo Friderico inſtituta fori optio, poſtquam propter juventutis, ut videtur, laſciviam, in abuſum vertiſſet, flexa ad præſentem neceſſitatem authentica, totam Juriſdictionem Doctoribus & Magiſtris concedere ac adductius regimen inſtituere, convenientius viſum. Unde circa exactum à Chriſto nato duodecimum ſeculum, gliſcentibus jam ingeniis, paſſim per univerſam Europam illa Academiarum exemtio cœpit, ita ut impoſterum non licuerit ſtudentibus aliud ſortiri forum quam Academicum, niſi excidere ſuo jure ac Imperatorum privilegiis mallent.

16. Incredibile dictu quanta ab eo tempore æmulatio Principum atque Regum, quo omnes ignaviæ & ſecordiæ eximerent obtentus, in privilegiis eruditorum ampliandis fuerit: quam liberaliter Magiſtratus de jure ſuo remiſerint multum, ut caſtiſſimo Muſarum conſortio civitates ipſorum fruerentur. Ac quemadmodum non facile expleveris agrorum ſitim debilibus rivis: ita rerum arbitri, velut certamine inſtituto, univerſa beneficentiæ ſuæ flumina in litterarum cultores effundebant.

17. Et

17. Et prudenter quidem ac circumſpecte ſummates viri judicabant, nihil vel in ſpeciem glorioſius civitatibus evenire poſſe, vel proventu uberius, quam ſi ad illas undique ex toto Orbe, peregrinæ juventutis flos, velut ad Hyblam aut vernantis Ennæ valles, confluerct. Quæ enim impoſterum fuit familia tota Europa nobilis, non intenta ad capeſſendas litteras, Academicæ peregrinationi? Quæ gens aut natio non ſe ad uberrimum illum ſapientiæ & eruditionis mercatum, etiam in longe diſſitas, maximo ſumtu, nec minoribus periculis, contulit regiones? Ipſi Principes ac terrarum Domini, nuſpiam melius monita Reip. gerendæ hauriri poſſe credebant, quam ex limpido Academiarum fonte, ubi diu penitus perdiſcerent, quæ mox præcipere debebant.

18. Erant tum raræ adhuc per Europam Academiæ ac propterea ſuperfluente juventutis multitudine frequentabantur. Quis non credat Pariſiis amplius triginta uno tempore millia ſtudiis navaſſe operam, cum annales ſolidæ fidei tradant, unam Oxoniam majorem pro Rege Henrico III., in rebelles Barones armaſſe numerum? Unde Francorum & Angliæ Reges non Provinciarum modo ac potentiæ, verum etiam Academiarum æmulatione,

tione, committebantur. Nam cum Pariſiis ſtudioſi à civibus pulſati diſceſſionem molirentur, Henricus III. qui diu ægris illam transmarinam felicitatem oculis adſpexerat, propoſita ingentium præmiorum, bonorum, vacationum, emolumentorum ſpe, aliquot eorum millia Oxonium elicuit. Quod, quanquam multitudine ſuperante facile damnum, tam viſum turpe fuit Ludovico Sancto ac dedecoroſum, ut quaſi Provinciæ alicujus jacturam feciſſet, regiæ urbis cives, animadverſione paucorum, ad officium colendoſque Academicos revocarit: *non minus ornamenti liberales artes, ſacram diſciplinam, cultum ingeniorum, Francis, quam arma afferre* prædicans, *& pulchram fore conſociationem, rerum bellicarum gloriam, cum divinarum humanarumque rerum cognitione ac doctrina, conjunctam.*

19. Non minor inter Bohemos ac Germanos ob Pragenſem Academiam contentio, quæ tanta abundabat exterorum multitudine, ut A. CIƆ CCCC IX intra octiduum quatuor & viginti Germanorum millia, in vicinas, Miſniam & Thuringiam, emigrarint, ac Lipſiæ & Erfurdiæ, ſi non prima initia, magna ſaltem incrementa & acceſſionem dederint. Unde

Wenceſlaum ignavum Majeſtatis inter alia etiam hoc criminis argumento Principes arceſſiverunt, *quod Academiæ Carolinæ negligens & ſecors, eam collabi pateretur ac interire.*

20. A quo tempore demum illa, qua hodie omnes in univerſum per Germanias utuntur Academiæ, conſtans & perpetua, communi Principum ac Rerumpublicarum authoritate ſtabilita & conſenſu recepta fuit Juriſdictio: ita ut non mixtum modo pleræque ſortirentur imperium, verum etiam merum, quale habent Viennenſis, Ingolſtadienſis, Griphis Waldenſis, Tubingenſis, Julia, & ſupra omnes alias Germaniæ antiquiſſima & celeberrima Heidelbergenſis, quæ ſummum vitæ & necis in omnes ſibi ſubjectos jus habet, quod ne ipſius quidem Principis authoritate infringi poteſt. Quam à Rudolpho II. Pal. Electore A. CIↃ CCC XLVI. fundatam, Rectoris ampliſſima poteſtate primus omnium gubernavit Vir nobilis Marſilius ab Ingen Gelrus, Wilhelmi Occami ſectator ac diſcipulus, qui Lutetia una cum Johanne Buridano pulſus, in Germaniam migravit, ac ille quidem Viennenſis in Auſtria, hic Heidelbergenſis Univerſitatis fundamenta jecerunt.

21. In

21. In hac feſſa jam mundi ætate ac vergente, divina Providentia, omnem Orbis antiqui ſtatum, brevibus momentis circumvertit. Nam cum tria ſint præcipua humanæ conſociationis ſive præſidia ſive adjumenta; navigationum commoditas, ſcientiæ militaris (triſte illud quidem & inhumanum, ſed ob iniqua, quæ frequenter incidunt, temporum, neceſſarium malum) notitia, atque omnibus his immenſa utilitate præferenda literarum elegantia: reperto magnetis uſu, etiam remotiſſimæ & omni antiquitati inacceſſæ terræ, quaſi continens eſſet Oceanus, noſtris tum Imperio, tum commerciis, junctæ ſunt regionibus. Quid illa belli fulmina & tormentorum tonitrua, cujuſdam Berchtoldi Franciſcani, an mali genii, inventum, referam, quæ omnem antiquitatis militiam penitus abrogarunt?

22. Unum illud divinum planè & incomparabilis ſagacitatis, Typographiæ artificium, quo majus nil aut mirabilius humana unquam tentavit induſtria, cœptum primo rudibus à Joh. Coſtero Harlemenſi Batavo initiis, acerrimo Joh. Fauſti Germersheimenſis Palatini (quanquam multi alienam gloriam in ſe trahant) ingenio perfectum, noſtram ſive

in ſcribendo lentitudinem, ſive in legendo tædia, cœlitus ſublevavit, ac bonas literas, quæ hactenus velut lucernæ humore defectæ, non niſi tenue & exile lumen ſpargebant, ſolis ſereno cœlo & mero meridie inſtar fulgentis, illuſtravit.

23. Unde mox exerceri humanitas, vigere artes, ſtudia clareſcere, cum magna optimorum librorum hac nova arte elegantiſſimè impreſſorum copia, non modo ipſam pretii vilitate, ad ſcientiam, raperet paupertatem; verum inſuper incognita adhuc Occidenti & vetuſtate propemodum obliterata antiquitatis monumenta, inter pulverem & tineas tabeſcentia ac ſemeſa, priſtino ab amœnis ingeniis reſtituerentur nitori.

24. Recens adhuc felicitatis hujus memoria erat & exemplum, cum Muhammed II. Turcarum, gentis ad literarum & omnis omnino humanitatis excidium ac internecionem, ab ultimis Maſſagetarum oris profectæ, potentiſſimus Imperator, Græcorum per Orientem dominationi, captivitate Conſtantinopolis, lugubrem finem impoſuit. Ducenteſimus nunc annus illius calamitatis eſt: quippe obſeſſa fuit urbs v. April. CIↃCCCCLIII, capta XXIX. Maji, cum qua omnis Græcæ litteraturæ ſplendor tot imprimis, quo-

quorum etiamnum fruſtra deploramus jacturam, immortalitate digniſſimi Veterum labores, penitus concidiſſe videbantur. Fuit enim Conſtantinopolis, ad illa uſque tempora, vetuſtæ monumentum ſapientiæ, literarum domicilium, arx eruditionis. *Nemo Latinorum* (quod Æneas Sylvius illorum temporum gnarus refert) *ſatis doctus haberi poterat, niſi Conſtantinopoli aliquandiu in literis vixiſſet. Quod florente Roma doctrinarum nomen habuerunt Athenæ, id ea tempeſtate Conſtantinopolis obtinebat.*

25. At tum Scythica illa immanitas, velut peſtilens quoddam ſidus, ſurgentes literas, nondum adulta ſtirpe, enecaſſet, niſi ingentes animæ, Argyropyli, Chryſoloræ, Beſſariones, Marulli, Gazæ, Trapezuntii, Triphernæ & alii, cum præſtantiſſimis antiquorum monumentis, tanquam ex magno naufragio, in Italiam enataſſent, quo poſtea profecti conſummatæ virtutis viri & bonarum artium cupientes, Weſſelus Ganſefort Groninganus, Rudolphus Agricola Omlandus, Johannes Capnio Palatinus, ignotas penitus Græcas literas, primi omnium Germaniæ, adhuc incomptæ & informi, intulerunt.

26. Memorabile eſt quod de ſe Capnio

 refert.

refert. Fungebatur is pro Philippo Pal. Electore ad Innocentium VIII. Papam legatione, ac dum Romæ otioſus hæret, auditorium Argyropyli, Græcam in magna Cardinalium aliorumque magnatum frequentia docentis linguam, ingreſſus, conſedit. Argyropylus peregrinum miratus habitum & vultum, qui videbatur quid magnum promittere, num & ipſe Græcam eruditionem noſſet, interrogavit. Cum ſe ejus non omnino rudem dixiſſet, porrecta, quam fortè prælegebat Thucydidis hiſtoria, quædam publicè interpretari juſſit. Cum Capnio non modo eleganter Græca legeret, verum ornatè inſuper exponeret, bonus ſenex lachrymis præ gaudio & admiratione ubertim fuſis: *Hactenus*, inquit, *Græcas Muſas non omnino periiſſe, verum etiam Alpes transvolaſſe intelligo.*

27. Ab his profecta per Germanias initiis (infinitum enim foret omnia ſigillatim & per partes referre) inter varias viciſſitudines & caſus, eruditio, mox ſummum occupavit, detumeſcente omni barbarie, quo humana pervenire poſſunt ingenia, faſtigium, ut nec Theologia Baſilios & Auguſtinos, nec Juriſprudentia Paulos & Tribonianos, nec Medicina Hippocrates & Galenos, nec Philoſophia Plato-

Platones & Ariſtoteles, deſiderarit. Certarunt cum Cicerone Latina Oratores facundia & ad ipſam Virgiliani Carminis Majeſtatem Poëtæ aſſurrexerunt.

28. Unum hoc deplorandum quod jam non ſenſim & per gradus, ſed impetu in antiquam cuncta prolabantur barbariem, fato an ſegnitia juventutis, quæ cruda ex Schola Academiæ ſtudia inferens, & vix deguſtato humanitatis initio, feſtinatis honoribus in Eccleſiam ac Remp. ingenti temeritate, nec minori damno propellit.

DISSERTATIO XXXII.

Specimen Hiſtoriæ Americanæ Veteris ante adventum Hiſpanorum.

CUm Joſuam fugientes Chananæi, totam Africam, qua mediterraneo mari adjacet, multitudine ſua inundaſſent, ab extrema Mauritaniæ ora in Atlanticum mare longius provecti, primo ad fortunatas & Caſſiterides inſulas, deinde ulterius in oppoſitam continentem venerunt. Ubi & regionis amœnitate, & jactura navium ſuarum, & Oceani intercedentis ſævitia moti, accedentibus forte & aliis cauſis, vaſtas terras & illum orbem, ſive primi incolæ, ſive aliis qui jam eo

delati fuerant, permixti, colere cœperunt. Inter hos Phœnices *Enakai* quoque Gigantes & *Chettai* fuerunt. Quorum illi late per continentem ſparſi, Jucatanam, Tlaſcaltecanam, Mantam, ut hodie loquimur, tenuerunt. Ferum genus hominum, ad illam corporum molem & inmanes artus, parem animi fœditatem adjunxit. *Chettai* inſulam Aitin à ſe cenominatam, cum vicinis, Cuba, Jamaica, Borriquen, occuparunt. Quid tanto tempore actum, longa ævi vetuſtas; nullis, vel ſi quæ fuerunt, abolitis monumentis, nobis invidit. Illud certum, quod novi coloni paſſim, etiam ipſos feciſſe. Ita ſtructas hinc inde urbes, diverſarumque gentium ortus, obitus, incrementa, decrementa, bellum, pacem, huc referre, ex vero licebit.

Aliquot elapſis ſeculis, cum in Phœnicia *Hirom*, in Iſraële mortalium ſapientiſſimus *Salomo* regnarent, nova in Americam navigatio ſuſcepta. Quippe cognitis, ut nihil rerum humanarum Salomonem latebat, hujus orbis opibus, claſſem uterque Regum, pari ſtudio, inſtruxit. Quæ vel per Erythræum mare circumvecta meridionalis Africæ promontorium, vel per mediterraneum & Gaditanas anguſtias, uſque in Americam provecta,

vecta, immane pondus lectiſſimi auri Jeroſolymam detulit. Quam navigationem poſtea Joſaphatus augendis divitiis, cum tentaret, claſſe in Eziongeberis portu, vi tempeſtatum confracta, pro commodo detrimentum tulit.

Creſcebat interim Carthaginis potentia. Quæ urbs promotis in Africa uſque ad Philenorum aras & Mauritaniam limitibus, Hiſpaniam quoque invaſit. Unde in Caſſiteridas extenſum Imperium. Quas inſulas, medio fere inter Hiſpaniam & Americam ſpatio, creberrime navibus ſuis adibant. Et ne aliæ gentes, extra columnas Herculis navigantes, notitiam earum & orbis novi conſequerentur, cum habendi cupido omnibus ferè affectibus flagrantior ſit, clauſtra Gaditani freti claſſibus obſepta, merſuſque in profundum quicunque extra Herculis columnas, non ſuæ gentis deprehendebatur. Ita Carthaginenſes ſoli Atlanticum Oceanum frequentantes, non potuerunt diu illas ampliſſimas terras ignorare. Quippe navis per complures dies in Occidentem à Mauritania ventorum impetu abrepta, tandem in terras fertiles & amœnas incidit. Ubi puro incorruptoque aëris tractu, liquidis ac pellucidis fontibus, accedente ſylvarum & camporum gratiſ-

ſima viriditate, delectati, ſedes ponere cum difficilis eſſet renavigatio, conſtituerunt. *Cur enim exhauſtis Oceano viribus, Carthaginem, bellis undique occupatam, fortunatiſſimis terris præferrent?* Et jactabatur quidem amor patriæ; ſed in ſpeciem. Cæterum nemo omnium erat, qui non mallet parta felicitate frui, quam denuo calentem æternis ignibus Africam repetere. Igitur exſcenſione facta, cum omnes oſcula ſolo religiosè fixiſſent, armamentis ex navi in terram deportatis; mapalia, ut collis, ut fons, ut nemus placebat; erigunt. Mox cum plures ſive ſimili caſu, ſive jam cognita inſula, eo veniſſent, connubia inter ſe agitare; utili conſilio, ne vaſtas terras rari cultores, tenerent potius quam fecunda ſobole implerent. Quod cum ab aliis qui eundem curſum tenuerant & reverſi eſſent, nunciatum Carthagine fuiſſet, omnium animis, ut quiſque in patriam affectu, ſpe, metu, arrecti. Suffetes, Senatu convocato, videre juſſerunt: *ne quid Reſpublica detrimenti acciperet. Nunquam plebi nimis fidendum eſſe. Quæ pericula, clades, bella patriæ, cuncta Patrum, facile in deterius rapiat. Quid ſi orta ſeditione; aut majori ab hoſte damno accepto, aliam ſibi extra Herculis columnas Carthaginem eſſe,*

eſſe, immunem belli, tributorum expertem, conclamet? Certe ſolum in omnia frugum genera ferax, libertatem inſuper, & ut cætera deſint, novandi ſtudium, animos crebro ad præceps factum impellere. Ad quæ ex Senatu alius: *Vtcunque* inquit, *nihil à civibus noſtris periculi immineat: quis illos ampliſſima Inſula colonos noſtros, in fide retinebit? Niſi fortaſſe credendum eſt penitus toto orbe diviſos adhuc Carthaginem obſequio & amore culturos. Quod mihi probabile neutiquam videtur. Fugitivi ſunt Patres, qui otium labori, quieta turbatis rebus noſtris, alienum ſolum patriæ præferunt. Quaſi non ea ſorte quivis genitus ſit, ut quæcunque fortuna patriam oſtendit, eandem ad ſe pertinere exiſtimet. Igitur pericula quæ ex novæ hujus coloniæ incremento Carthaginenſium rebus impendent, neutiquam mihi vilipendenda videntur. Tum ne confluentibus velut in portum quendam, ex tempeſtate, pluribus, noſtra civitas exhauriatur. Tum ne aucti viribus inſulani, quod futurum niſi obviam eatur jam prævideo, veſtrùm Imperium, veſtra jura excutiant. Quod omen Dii prohibete. Nam ſic Imperium Atlanticum amitteremus, felicitatis noſtræ præcipuam partem.* Addebant alii auditas in publico civium

voces: *Non diu quo amiſſis in Africa rebus ſuis fugere debeant, quærendum eſſe. Conſcenſis navibus in Atlanticum Oceanum & felices illas, quarum fama celebraretur, terras, exemplo aliorum, omnes ituros.* Quod Senatum vehementer commovit. Sententiis auditis, una vox erat: *Videndum quovis modo, ne deinceps quiſquam illam inſulam adiret.* In quam rem Senatusconſultum factum eſt: quo ſub capitis pœna interdicta cunctis extra fretum Gaditanum in illam inſulam navigatio. Miſſa quoque claſſis; quæ, ſecundo vento ad inſulam delata; & à colonis novis feſto apparatu excepta, cum nihil mali ſuſpicarentur, omnes, Senatusconſulto prolato, migrare juſſit. Tum vero exortus tota inſula miſerrimus clamor, velut capta & amiſſa patria, in triſte exilium mitterentur.

Sed quid facerent contra armatos & potentiores, inermes ac pauci? Igitur collatis in naves rebus ſuis, beatas ſedes & novam patriam vix deguſtatam, linquunt. Reverſi ſint Carthaginem; an alio terrarum expoſiti, haud conſtat. Interea ingruentibus per Septentrionem Scythis magnæ per omnem Americam mutationes ſecutæ ſunt. Gentes horrido cultu, feris & immanibus præditæ moribus, quicquid

quid à Phœnicibus excultum, ſua barbarie deleverunt. Poſt longum tempus, magna per Oceanum Scythicum vecta claſſis; ad Americæ illud littus, quod Californiæ imminet, peregrinam gentem expoſuit. Quæ cum Principe ſuo, *Tolpicin* Quetzoalcoatl dubium quo caſu; parte quadam exterioris Aſiæ pulſa videtur. Ac Princeps quidem paulo poſt cum claſſe in antiquam patriam contendit; & denuo in Americam reverſus, ſuos inde ſecum in patriam reducere conabatur. Qui jam indigenis permixti connubio, ſedibus, amicitia, multum ab amore Principis, patriæ moribus majorum, deſciverant. Unde contemtim blanditias, promiſſa, dicta factaque ſui quondam Regis excipere; dicentes: *Patriam eſſe ubicunque bene ſit. Cur non quieta novi orbis, quo fatis appulſi eſſent, Aſiaticis turbis præferrent? Iret quocunque locorum. Iactatos immenſi Oceani fluctibus in hoc libertatis portu, inter uxorum & cognatorum delectamenta quod vita reſtaret, exacturos.* Non abſtinuit à minis Tolpicin Quetzoalcoaltl. Quin adhuc ſe Regem fuiſſe recordatus: *Contra rebelles,* inquit, *non verba, non alia proſunt quam arma. Vos quidem me Regem veſtrum, deſertores, contemnitis. Cæterum Dii perfidiæ ultores noxium à vobis*

Spiritum exigent. Ibo ſane quoniam jubetis. Nec ſolus ad vos revertar. Quicquid Juventutis reſtat domi; ad arma evocabo. Cauſa, indignatio, perfidia veſtra, robur addent. Nec ante conquieſcam quam pœnas mihi graves dederitis. Ita cunctis attonitis, navi conſcenſa; illis ceſſiſſe terris ferunt. Ab eo tempore ſemper colebatur pariter & veluti rediturus, expectabatur.

Tum & Inga quidam ſuæ gentis colonos ex Aſia in Americam duxit. Is, magni vir animi, peragrata ferè omni continente, claram paſſim ſui memoriam reliquit, divinis honoribus poſteritatis ſuperſtitione, à multis retrò ſeculis, cultus. Chicorani Mutecʒungam vocant, & in remotiſſimo Septentrione regnaſſe exiſtimant, ubi nunc, inter majorum ſuorum manes, felix & beatus degat; noxarum, quæ in vita ſua quiſque contraxit, expiationi intentus. Guahutemallanis Malinga dicitur, Peruanis eodem ſenſu Inga. Unde gentis nomen celeberrimæ fluxit; quæ cum primo ad Titicacam lacum conſediſſet; inde auctis viribus progreſſa, Cuzconem magnificam urbem & maximi poſtea caput Imperii condidit. Ipſi originem ſuam à fabulis auſpicantur: *poſt ingens illud diluvium quo merſus orbis, ex ſpecu Pacaritambo*

tambo Mangocapam cum ſex ſeptemve Ingis prorepſiſſe. A quo totum genus humanum, leges, religio fluxerint. Quæ cauſa fuit, quod Ingæ jus ac dominium ſibi in omnes arrogarent tanquam poſteros ſuos & propaginem. Hunc alii Viracocham Zaphalam nominant; & ab Intiticaca lacu cum numeroſo exercitu progreſſum, arma undique in vicinos circumtuliſſe narrant.

Familiæ ejus omnino duæ memorantur, Hanancuzco & Urincuzco; quarum illa rerum potita Cuzconicum Imperium Tahuantiſuyo dictum, longa Regum ſerie celebris, occupavit.

Dum hæc ad meridiem fiunt, in ſeptentrione apud Navatlacas Deûm Oracula jactabantur: *migrandum in alias regiones; ubi ſedes beatæ & amplum in vicinos Imperium promitteretur.* Qua ſpe exciti cuncti, comparatis ad tantum iter neceſſariis, Aztlanem & Teuculhuacam reliquerunt. Nec in ea quiſquam; niſi morbo vel ſenio gravis, manſit. Initium migrationis in A.C. IↃCCCXX. incidere ſunt qui tradunt; & ipſos LXXX annos in via inſumtos. Quoniam non recta, ſed per ambages, tardo itinere, progrediebantur. Cujus moræ cauſa maxima fuit ambigua Deûm vox, ubi perſiſtendum,

non

non niſi occultis auguriis & per ſigna quædam, oſtendens. Unde à feſſis crebro ſedes per immenſam illam ſolitudinem poſitæ pariter ac mutatæ. Cujus veteris viæ latè manent veſtigia, caſtra & moles, ex quibus nunc quoque metiaris manus gentis & tam magni exercitus fidem.

Primi Suchimilcæ: tum Chalcani, Tepanecæ, Culhuani, Tlatluicæ, Tlaſcaltecæ & ultimi omnium Mexicani, temporibus multum diverſis, ad lacum venerunt, omnes longis in via erroribus Deûm malignitate, circumacti. Suchimilcæ gens à florum ſtudio dicta, urbe ſui nominis ad oram lacus ſtructa, multis hinc inde oppidis Provinciam ſuam exornarunt. Aliquandiu poſt Chalcæ, diviſo cum Suchimilcis limite, Chalcam ſtruxerunt. Tepanecæ Occidentalem oram, quicquid ad Orientem ſpectat, Culhuani inſiderunt. Tlatluicæ & Tlaſcaltecæ totum lacum circumcirca videntes occupatum, hi ad Occidentem; ad Orientem illi, montes tranſgreſſi, fertilem utrique regionem occuparunt.

Nec Chichimecæ vetus & barbara illis in oris natio vim contra parabant; ſed velut attoniti: per montes ac ſpeluncas & ſylvarum abdita reptantes, mirabantur, quæ illa tam incognita gens: quid ædium

mo-

moles, veſtitus, ordo, commercium ſibi vellent, tacitus quiſque muſſare. Donec paulatim exemplo Navatlacum moti, cultum quoque admiſerunt aliquem, ſtructis oppidis & quod præcipuum, ſub uno Principe. Magna tamen pars tenax aviti moris, in montibus & ſpeluncis ſuis, ferox ac infeſta ſibi aliiſque, maluit degere.

At Tlaſcaltecæ in tranſmontanis ad Orientem regionibus, aliam gentem, alios viros, repererunt. Qui & viribus & ſtatura Gigantes, indomito robore in bellum contumaces, arma peregrinis inferre; nec pati quenquam ſocium velle apertè jactabant: *Cur advenas in ſolo ſuo ferrent? cur non imparatos adhuc ad reſiſtendum tollerent?* Quod agi videntes Tlaſcaltecæ, cum rem prælio committere tutum non exiſtimaret prudentiſſimus quiſque, inſidiis feroces aggredi viſum. Igitur pace ſimulata, quod optimum fallendi genus eſt, convivium paratur, quo barbaros capi potiſſimum ſciebant. Conveniunt crebri: & mali omnis neſcios, cum jam potu incaluiſſent, Tlaſcaltecæ, ſtrictis repente gladiis, invadunt. Primo impetu promtiſſimus quiſque cadit. Reliquam turbam clamore cadentium ad arma concitam, acie inſtructa, excipiunt. Pugnatur acriter; cum nec illis in tanto diſcri-

diſcrimine ſui defendendi animus deeſſet, nec Tlaſcaltecæ victoriam, libertatem, decus, amittere vellent. Barbari arborum ramis impetu defractis, evulſiſque ingentibus truncis, rem potius robore, quam conſilio gerere. Contra Tlaſcaltecæ modici virium, ſpem omnem in celeritate & compoſito agmine ponebant; & ſparſim palantes dum ſinguli pugnant, omnes immanis magnitudinis hoſtes vincunt. Hinc deleta tota gens; quam ex priſcorum Anakæorum Phœnicum reliquiis fuiſſe oſſa deformis magnitudinis circa Tlaſcalam reperta aliaque generis argumenta oſtendunt.

Poſt hanc victoriam, omnia Navatlacis quieta fuerunt. Quis enim deleto Gigantum robore, bellum victoribus moviſſet? Unde factum ut oppidis, viris, opibus, ſupra quam credi poteſt, res ſuas florentiſſimas efficerent. Et quanquam pro ſe quiſque patriam quam ornatiſſimam redderet;tamen inter omnes potentiſſimi Tepanecæ quos & Azcapuzalcanos nominant, magna virium & authoritatis incrementa fecerunt. Tlatluicarum regio Quernavaca fuit. Quos magna ſiccitate patrium ſolum exurente, navibus in Nicaraguam veniſſe, poſitis inter Cioreteganos & Coribicanos ſedibus, narrant.

Et

Et quamvis de anno nihil conſtet; tamen huc rejicere hanc migrationem viſum eſt: propterea quod tradatur, eodem ferè tempore in Uraba & Dariene, Iſthmicis regionibus, flumina fonteſque cunctos defeciſſe: & parte majori hominum deleta, reſiduos ad maritima, relictis montibus, conceſſiſſe.

Alterum à trecentiſſimo anno Navatlacæ ad lacum agebant, cum ſeptima gens, omnium aliarum cultiſſima & bellicoſiſſima, ut cæteræ, ex Teuculhuacan & Atzlan, prodiit. Quorum Deus Vitzliputzli, magnificè multa in vulgus ſparſit: *Rerum Dominos fore & ſex nationum Principes qua ad lacum & circa conſediſſent. Daturum in fertiliſſima regione divitias ingentes, aurum, argentum, lapides pretioſos, plumas & alia quibus impotens hominum libido pretium facit.*

Quibus promiſſis moti omnes, patriam, ſpe proſperi ſucceſſus, linquunt. Arca ex junco paluſtri idolo conſtruitur, geſtantibus eam quatuor ſummis ſacerdotibus, magna religione. Oracula illi excipiebant: quid agendum, omittendum: Leges quoque, ſacrificia, ritus non aliunde certius petebantur. Nunquam inconſulto Deo, ſedes mutatæ; cujus in medio caſtrorum, velut digniſſimo loco, arca

arca poſita. Obſervatumque eſt, totam profectionem ad exemplum Iſraëlitarum ex Ægypto in Chananæam migrantium, inſtitutam fuiſſe. Quemadmodum malus genius divina myſteria ſemper æmulari & ad ſuperſtitiones ſuas detorquere conatus eſt. Dux tanti Exercitus Mexi fuit; à quo tota gens Mexicanorum nomen accepit. Poſt longos multorum annorum errores, cultis paſſim, & iterum juſſu Idoli deſertis locis, & exhauſta innumera pericula, multis lacubus & ſoli amœnitate ſuaviſſimam regionem conſpexerunt. Ingens optimarum piſcium copia in pellucidis aquis ludebat paſſim, unde loco Mechoacanæ nomen inditum. Ibi condere coloniam juſſi, lavantes in lacu Pazcuaro utriuſque ſexus plurimos, cæteri veſtibus, monente Deo ſpoliatos, in loco ſolo, perfidè, caſtris clam motis, deſtituunt. Qui partim pudore, partim ira impediti ne ſuos ſequerentur, eas ſibi ſedes delegerunt. Inde odio in Mexicanos æterno flagrantes, in contraria omnia, mutatis ſermone, veſtibus, inſtitutis, diſceſſiſſe memorantur. Erat in exercitu Mexicano famoſa peſſimis artibus mulier; quam Dei ſororem vocabant, quæ multis damnis, ut tali ingenio fæminæ ſolent, illatis optimo cuique, id operam dabat, ut divi-

nis

nis honoribus, juxtim ac Vitzliputzli coleretur. Qui motus invidia, ſeniorem ex ſacerdotibus noctu affatur, & repetitis ad populum prioribus promiſſis, *velle ſe* dixit *ſororem ſuam cum omni familia, clam alicubi locorum, deſtitui*. Quod cum factum eſſet, ſaga mulier vicum Malinalco ſtruxit; cujus incolæ omnes magicis ad poſteritatem artibus celebres ſemper fuerunt. Immanis in Tulæ montibus Coatepec cædes facta, omnium animos exterruit. Erat ille algoſus locus, quem ingens flumen medium rigabat: quod Dei juſſu ita in tenues rivos diductum, ut ſparſis per depreſſa undis, pulcherrimi montes undiquaque aquis cingerentur. Ita lacus humana induſtria natus, & arboribus circa conſitus amœniſſimis, pulcherrimam faciem præ ſe ferebat. Ibi cum ſedes, exhauſti tot profectionibus Mexicani, ponere conſtituiſſent; vetuit Deus, ſtatimque flumen antiquo alveo reddi, amotis aggeribus, juſſit. Renuentes, gravibus ſe ulturum pœnis, minatur. Quod cum ſuſque deque plures habuiſſent; auditi media nocte gemitus & morientium ejulatus. Mane repertæ cadaverum per illos campos ſtruices cum aſpicientium horrore. Omnium aperta pectora & cor ex viſceribus crudeliter evulſum, qui ſa-
cri-

crificandi apud Mexicanos impoſterum mos fuit. Quo ſupplicio omnibus territis, ſedes ex Tula, verſus lacum, celeriter promoverunt.

Lacum illi quos diximus, tenebant, Tepanecæ, tum temporis in tria regna Azcapuzalcanum, Cuyoacanum, Tacubanum; Culhuani in duo, Tezcucoanum & Atlacuyavayanum diviſi. Tlaſcaltecæ jam in XXXVIII. oppida muris cincta, excreverant & quicquid valles inter, Atliſcanum & Ocruabam jacet, ditione tenebant. Ipſa ingens Tlaſcala, in quatuor diviſa regiones, vix tamen populi ſui capax. Igitur ad lacum delati Mexicani omnium in ſe Navatlacum animos irritatos videntes, Chapultepecum tumultuaria opera contra vim muniunt. Nam in Malinalco relicta ſaga, filium Copel præmiſerat. Qui infanda quæque fingens, omnium indignationem in Mexicanos convertit. Magno exercitu obviam venientibus progreſſi, præſentem internecionem intentabant. Spectator crudelis prælii Copil tumulum Acopilco inſederat: ubi juſſu Dei obtruncatus eſt. Cadaveri evulſum cor, & in lacum, ubi Tunal enaſcitur, conjectum eſt. Quo facto ad manus cum Chalcis & Tepanecis Mexicani devenerunt. Quorum Dux Vitzilovitli, manu &

con-

conſilio juxta promtus, dum ſuos adhortatur, ut juſſu Dei fortiter gererent, inter primos acriter pugnans, occumbit. Amiſſo Duce, cæteris, quod mirum, animus crevit. Tanta vi hoſtibus ingruunt; ut compoſita acie, receptis in medium agmen quos ætas & ſexus tardabat, Atlacuyavayam Culhuacanæ urbem incolumes penetrarent. Ubi, jubente Deo, legatos ad Regem gentis mittunt, ſedes petitum: *Non ſe ſponte ſua huc veniſſe. Cur luce indigni judicentur? Cur ante crimen ullum, arma in ſe concitata videant? Dediſſe pœnas iratis numinibus illum patria ſua proditorem Copil. Ornamento ſe & uſui Navatlacis fore. Excluſis terra marique ſaltem ubi vincant, vel moriantur, ſpatium relinquendum.* Rex Culhuoacanæ, inito cum ſuis conſilio, migrare omnes *Tiſapanam* jubet. Is erat inſaluberrimus locus, Sardo cœlo peſtilentior: putreſcentibus hinc inde aquis; unde bufonum & noxiorum animalium ingens pronaſcebatur copia, fœdus. Perituros omnes contagione aëris & ſoli, non minus Rex ſperabat quam ipſi metuebant. Unde natus totis caſtris clamor, dubitantium: *Quid ſatius eſſet, hoſtili gladio, an loci peſtilentis vitio, perire.* Et quo quiſque in arma rigidior, eo minus Regi cal-

callido credendum fremebat. *Non ſe in eam ſortem genitos, ut cum cælo pugnare queant. Cum hominibus ſe, non peſtilentia, bellum geſturos.* Sed oraculum ſui anxios confirmavit: *capeſſerent juſſas ſedes: cætera ſibi curæ fore.* Purgata brevi à noxiis animalculis regio, longe aliam faciem induit; amœnis hinc inde agris ſpem magnæ fertilitatis promittentibus. Ipſe Rex miratus gentis induſtriam; non jam doloſè, & amicitiam & civitatem ſuam ipſis ultro & lubens obtulit. Vitzilopuztli Sacerdotem allocutus dixit: *Non hunc eſſe locum ubi fata ſedes Imperio delegerint. Vlterius migrandum. Nec abſque multis bellis, eam, quam pollicitus ſit, felicitatem, conſecuturos. Opus ad hanc rem Dea Diſcordia. Hanc à Culhuacano petendam.* Igitur miſſi ad Regem Legati, qui filiam ejus, ſibi reginam, Deo matrem, humillimis precibus poſcerent.

Nec temnenda Patri petitio viſa. *Cur reginam, quam genuiſſet, cur Deam eſſe nollet?* Inſolens malarum artium, filiam mittit. Excipitur utroque honore, & ut Deam, & ut Reginam decebat. Felix ſibi Pater tanta prole, felix Mexicanus tanto munere videbatur. Media nocte crudeliſſimum facinus ſuſceptum. Juſſu Dei miſerrima virgo, jam fruſtra, *Pater, Pa-*

ter,

ter, inclamans, ad cædem rapitur. Maᷓctatæ pellem detrahunt. Qua juveni ſupra conſuetas virginis veſtes induta, formatur horribile Idolum juxta Vitzliputzlin locandum & impoſterum ſub Tocci & Dei matris nomine adorandum. Nec contenti immaniſſimo facto, ipſum patrem, quod ſolum reſtabat, Culhuaca advocant; ut filiam ſuam jam plenè ordini Deûm inſertam, religioſe primus coleret. Venit cum maximis donis & inſigni comitatu Rex & Pater miſerrimus, & neſcius crudelitatis, templum ingreditur denſis tenebris formidabile: jam dona parans, jam vota novæ Deæ concipiens; cum inter adolendum, exuvias dilectiſſimæ ſobolis & horribile mortis genus agnoſcit, nec iræ nec voci iter pandebat aſpectus præceps. Et jam non ſuus, non pater, non Rex, attonitus, defixis in filiam oculis hæſit. Ut ad ſe paulum rediit, ut filiam, ut patrem ſe & Regem, & à quibus hoc admiſſum, Mexicanos advenas eſſe meminit; furore & rabie plenus, cum ſuis, in confertiſſimos irruit, fundit, fugat, reſiſtentes in ipſum lacum, impellit. Ibi vidiſſes cum aquis & hoſtibus luctantes. Clamor ruentium fœminarum & infantium omnem illam latè regionem occupat. Nec jam procul ab exitio aberant; cum

P for-

fortius recollecto animo in hoſtes impetum faciunt. Qui multis quoq; vulneribus fœdi, cum pedem referrent, ſpatium Mexicanis ſeſe ex lacu emergendi dederunt. Unde toti madentes, ejulantibus miſerum in modum infantibus & ſequiori ſexu, Culhuacan circumita, per Iztapalapan, Acatznititlan, Itzalcalconem progreſſi, & ipſos Deos ac ſæva fata incuſantes, ad lacum ſubſiſtunt. Una in tot adverſis ſpes Vitziloputzli: à quo bonum animum habere & res magnas impoſterum ſperare, juſſi ſunt. Ingreſſi limpidas in ſinu quodam aquas, Sacerdotum nonnulli, vident arbores ex mediis undis albicantes. Mirantur. Mox oraculi memores, quo prædictum; *ubi reperta in aquis alba arbores ſe oſtenderint, ibi ſedes, ibi Imperium Mexicanis portendi*, lætiſſimo nuncio caſtra ſuorum implent. Sequens nox dubitantibus adhuc de eventu fidem fecit. Vitziloputzli ſeniorem Sacerdotum allocutus: *Eo loco ubi cor hoſtis ſui Copil demerſum fuerat, ſupra petram viſuros arborem Tunal & ei aquilam inſidentem. Ibi fore locum condendæ urbis toto mundo celeberrimæ: cujus Imperio quicquid circa longe lateque gentium eſſet, fata deſtinarent.* Senex mane convocat in unum omnes. Quid viderit, exponit. *Eant bonis*

avi-

avibus & tot laboribus quæſitas ſedes, nunc tandem lætis animis inquirant, hortatur. Omnes ineffabili gaudio perfuſi, manus ad cœlum tendere: ſibi quiſque gratulari: *Hanc illam diem eſſe, cujus ſpe patriam deſeruerint.* Mox ſumma religione compoſiti, partito agmine, lacum intentis omnes oculis, circumeünt. Poſt longam inquiſitionem, apparet ex mediis undis petra, Tunalem ſimul, & ut Deus dixerat, aquilam oſtendens. Quæ expanſis alis ſoli obverſa, inter innumeras pulcherrimarum pennarum aves, ſuperbiebat. Ut cognitum fuit hunc locum condendæ urbis fore; omnes in ora proni, aquilam, caput ſuperbe circumagentem, venerantur. Hinc ad cœlos verſi, Rerum creatorem & magnum Vitziloputzlin votis & laudibus propitiant: *Quod in omnibus ſe patrem oſtendat. Quicquid jam olim prædixerit nunc ſibi compertum eſſe.*

Traducto in petram, ubi conſpecta cum arbore Tunal Aquila, Deo Vitzliputzli, caſa recondendæ ejus arcæ ex ceſpitibus rudi opere ſtruitur, uſque dum templum tanto Deo dignum excitari poſſet, duratura. Urbi Tenoxtitlan nomen datum, quod Tunalem in petra ſignificat; & ejus inſignia; Aquilam uno pede avem

tenens, altero Tunali inſidens, eſſe voluerunt. Primæ civium opes, in tenui re, aucupio & piſcatura quæſitæ. Quod Senatoribus optimum paupertatis remedium viſum fuit. Quippe vicinæ civitates otio, luxu, divitiis longo ævo congeſtis ſuperbientes, uberrimam lacus piſcaturam & tot avium delicias, ferè neglectim habebant. Unde apportatas avide coëmebant. Et Mexicani callide rebus ſuis ſtabiliendis intenti, ligna, lapides, calcem, neceſſaria ſtructuræ, mercabantur. Videre erat eos qui onuſtas piſcibus & avibus ſcaphas ad vicinos mercatus duxerant, calce & rebus omnibus ad ornandam urbem neceſſariis, Tenoxtitlan reverti. Tum melior Deo ædes, & civium domus ac major urbis pars, ex lapide conſtructa. Lacunares quoque undas, merſis in profundum aſſeribus, & tignis decuſſatim adactis, ad moles ædificiorum ferendas, ſtatuminarunt. Annus urbis conditæ poſt natum Chriſtum cIↃ ccc lxxxi, eſt. Quo tempore in Friſlandia regnaſſe dicitur Zichmi, & magna cum vicinis Iſlandis bella geſſiſſe. A quo duo Venetæ nobilitatis Principes viri, Nicolaus & Antonius, ex Patricia Zenorum familia, novas detectum terras miſſi, Eſtotilandiam, longe Occidentem verſus, in altiſſimo mari

mari ſitam, quo Piſcatores quidam tempeſtatibus abrepti, detexerint, delati. Quid ibi viderint referre non eſt opus, cum certiſſimis argumentis conſtet, neque ullam unquam in eo mari Friſlandiam fuiſſe; neque Eſtotilandiam qualis in Itinerario Zenorum deſcribitur.

At fortunatas in Atlantico mari, qua Mauritaniam alluit, ſitas, eo ævo, cum per multa ſecula occultæ manſiſſent, detectas eſſe, conſtans & certa fama eſt. Quas cum jam A. C. cIↄ ccc xxxiv. Ludovicus Cerda, inſolenti ambitione, propter ſucceſſus aliquandiu proſperos, Fortunæ Princeps dictus, auſpiciis Petri Aragonum Regis infeliciter tentaſſet, Biſcaienſes & Hiſpalenſes, A. C. cIↄ ccc xciii. regnante in Caſtella Henrico III. propius aperuerunt. Quippe in illo Oceano, extra Herculis columnas navigantes, vel tempeſtatibus vel conſilio, ad unam Fortunatarum, quæ Lanzarotta dicitur, delati, exſcenſione facta, Regem, Reginam, cum centum ac ſeptuaginta barbaris, captivos in Hiſpaniam duxerunt.

Gratum Regi Henrico ſpectaculum, & repertas extra Fretum Gaditanum novas inſulas, Imperii acceſſio videbatur. Quas ſubactum nobilibus quibuſdam conceſſit. Qui cum minus feliciter rem

 gere-

gererent, Robinus Bracamontius, Franciæ Archithalaſſus, à Johanne II. (nam Henricus interea deceſſerat) eas inſulas filio ſuo Johanni Ventacourtio regio titulo impetravit. Prima claſſis A.C. cIↄ cccc v. in eas miſſa, barbaros Ganches incredibili agilitate, ſpurcis moribus, invenit. Inſolens noſtris, homines videre picturatos; vel inveſtes omninò, vel pelle neglectim cinctos. Miraculi inſtar fuit ignis uſum ibi ignoratum fuiſſe, quem tamen Eudoxus quoque nonnullis Africæ partibus demum monſtraſſe dicitur.

Ventacurtius quatuor inſulis, Lanzarotta, Fortaventura, Gomera, Ferra potitus, colonias Gallorum ibi excitavit. Miſſa in Europam mercimonia, corium, ſebum, cera, ficus & aliæ opes indigenæ magnis opibus hunc novum Regem ditarunt. Mortuo quidam Menardus, huic Petrus Barba ſucceſſit: donec ad Ferdinandum Perazam; ab hoc ad Didacum Herreram, poſſeſſio earum devenit; à quo Ferdinandus II. Aragoniæ & Caſtellæ Rex has quatuor inſulas xv. Ducatorum cIↄ redemit; ita ut Gomeram ac Ferram Herrera Comitatus titulo retineret. Ferdinandus ſtatim ad cæteras, quæ hactenus invictæ perſtiterant, inſulas ſubigendas, ani-

animum adjecit. Duæ, Palma & Tenerifa mox, ſed non abſque magna ſuorum clade, Alfonſus Lugo ſubegit. In Palmæ expugnatione, barbaros, callidiſſimæ fraudis ſucceſſus, deſtituit. Eſt illa aquæ inops inſula. Neque rivus, neque fons, ac ne pluvia quidem. Unica, magni miraculi inſtar, & à qua ſalus totius inſulæ pendet, arbor, cœleſti rore & perpetuis nebulis irrigua tantum aquæ humentibus ramis deſtillat, quantum ad neceſſitatem cunctis ſufficiat. Hanc arborem, haud dubio eventu, celare Hiſpanos callidi barbari conabantur. Ita futurum exiſtimantes, ut Hiſpani ſitis intolerantes, ſponte diſcederent. Jamque, nuſpiam inventis aquis, in eo erant ut abirent; cum meritoria mulier, illecta peregrinorum conſuetudine, fatalem Hiſpanis arborem, ſimul patriam, ſimul libertatem, prodit. Omnium acerrime Canaria reſtitit. Invicta quamdiu concordibus armis pugnavit. Diſcors, Petro Veræ nobili Xericio & Michaëli Moxicæ, mox ſuccubuit. Guavartema regnum in Canaria tenebat; cujus in vaſta ſpelunca ſedes erat. Contra quem infimæ ſortis homo Doramas, acer belli ſeditione mota, Regem Teldæ, quæ potior Inſulæ pars, ſe fecit. Unde inteſtino bello diſtractæ vires, Hiſpanis facilem totius

Canariæ victoriam fecerunt.

Dum ita Fortunatas in ſervitutem rapiunt Hiſpani, Tenoxtitlan ſeditione civili concuſſa major paulatim & illuſtrior fieri cœpit. Nam cum urbs jam & civium & ædificiorum numero amplificata eſſet, Vitzliputzli noctu Papam allocutus, univerſam in quatuor regiones civitatem, relicta in medio Teucalli, quod maximum templum, diſtribui juſſit, cæteris minorum Deorum fanis hinc inde conſtructis. Nam ſingulæ regiones Deos ſuos majorum gentium habebant; ſub quibus alia numina, Calpultetco, quaſi Platearum Deos, dicas. Quæ nova diviſio magni motus cauſa extitit, indignantibus nonnullis primariæ authoritatis civibus, non eas, quas optabant, ſedes ſibi contigiſſe. Igitur præcipiti conſilio, facta ſeceſſione, ſcaphas conſcendunt; & lacum pervagati; cum regionis ſitus omnibus arrideret, urbem Tlatellulco, æmulam Tenoxtitlanæ condunt. Et ut civium odia omnium pervicaciſſima ſunt; non acriores Mexicanis hoſtes fuerunt quam Tlatellulcani. Qui una cum Mechoacanis, & Malinalcis, conditores ſuos, velut devota capita, ultra hoſtile odium, proſequebantur. Nec par tot hoſtibus Tenoxtitlan: hinc qui diſceſſionem fecerant civibus, inde ſex poten-

potentiſſimis Navatlacum gentibus, ejus incremento infeſtis. Et metuebat prudentiſſimus quiſque, ne plures, metu, exemplo, novis odiis moti, Tlatellulcanos imitarentur. Igitur auditis ſententiis; cum quid optimum factu, ne quid Reſpubl. detrimenti caperet, videretur, dixiſſent ſinguli, Règem eligi placuit; cujus authoritate nova civitas coaleſceret; & hoſtium molitiones infringerentur. Sed ad vitandas diſſenſiones, & ut vicinorum gratiam ſibi conciliarent, externum eligere viſum. Rex Culhuacanæ, quem, immolata crudeliter filia, quantum cogitari facile poteſt, offenderant, jam dudum obierat, hæreditario contra Mexicanos odio ad ſucceſſorem tranſmiſſo. Is ante omnia placandus videbatur hac novi Regis Electione. Magnus quidam Mexicanæ gentis Princeps, filiam ejus Regis duxerat: unde natus Acamapixtli, vir & moderatione animi & fortitudine, ſupra quam credi poteſt, conſpicuus. Hunc Regem ſibi depoſcunt. Miſſos cum magnis muneribus ad Regem Culhuacanæ Legatos, in hæc verba dixiſſe ferunt:

Inter junceta & lacunares algas, nos ſervi tui, Magne Rex, ab omnibus derelicti, præterquam Deo noſtro, degentes: quandoquidem hinc Aczapuzalco, inde

Tezcuco & Culhuaca, regnum tuum, nos cingit undique, Regem poſcimus qui jura det, imperet & contra oppreſſionem ac vim defendat. Nec ignotum apud te, noſtri generis viros Principes, vobis affinitate junctos eſſe. Ex quibus Acamapixtlin priſco Mexicanorum Ducum & Regio Culhuacanorum ſanguine natum, Regem poſcimus, tanta ipſum fide obſervaturi, quantum & genus & virtutes viri poſtulabant. Rex audita legatione, non inutilem ſibi Mexicanorum amicitiam fore arbitratus, qui ob induſtriam & fortitudinem paſſim celebrabantur: *Quod felix* inquit, *& fauſtum fortunatumque mihique & Mexicano populo ſit & nepoti meo; Acamapixtli Rex veſter eſto.* Ad quem converſus. *Diis tuis,* inquit, *mi nepos, ſerviturus abi: & ejus vices gere, qui cuncta creavit, à quo dierum noctiumque viciſſitudines pendent. Tibi terrarum aquarumque Mexicanarum Regi, cuncta fauſta apprecor.* Neque vero Culhuacani ſceleris in filia defuncti Regis peracti non recordabantur. Atque illud haud obſcurè Legatis exprobratum, cum Rex diceret: *filiam ſuam haudquaquam ipſis commiſſurum fuiſſe.* Rebus feliciter bono publico expeditis, cum Rege Acamapixtli & Regina Legati Tenoxtitlam reverſi ſunt.

Jam-

Jamque fama totam urbem pervagabatur; adventare Legatos: tum obviam cuncti lætis animis & feſto apparatu profecti ſunt. Exiguæ tum temporis Mexicanorum opes, nec Rege dignum Palatium, caſam paraverant humilem: in qua cum Rex conſediſſet, quidam ex Oratorum Collegio, ſenior, in hæc verba dixit: *Mi fili, Rex & Domine noſter, ſit fauſtus & felix in hanc pauperem civitate adventus tuus, inter hos lacunares juncos & vilem algam, ubi natio noſtra ea patitur quæ Deo creatori omnium nota ſunt, Dux Mexicanorum, umbra, & præſidium es, ejus nationis quæ ſemen Dei noſtri Vitzliputzli eſt. Idque tibi etiam atque etiam cogitandum. Non te latet in hoſtico nos degere. Incertæ rerum vices ſunt. Nec de ſecuritate quicquam vel in craſtinum, polliceri poſſumus. Quod argumento tibi erit, non ad otium & voluptates, ſed laborem ac moleſtiam te vocatum: Servus es omnis hujus multitudinis & vicinorum populorum, quibus ſubjecti ſumus. Hos Imperio rege. Illi comitate & amicitia devinciendi; ut nobis pax conſtet qua carere non poſſumus, undique cincti & concluſi robuſtiſſimo hoſte.* Quæ cum graviter dixiſſet, denuo Regi & Reginæ fauſta quæque comprecatus eſt. Rex

actis populo gratiis: *ſibi vero defenſionem & felicitatem civium curæ fore*, pollicitus eſt. Simul cum in verba ejus omnes pro more juraſſent, corona capiti impoſita eſt; & inſignia Regi ex nominis interpretamento, manus faſcem arundinum tenens, quod id Acamapixtli ſignificet, data ſunt.

Hæc novi Regis electio tam feliciter ſucceſſit, ut brevi tempore urbs magno incremento jam aucta, paſſim celebraretur. Quare vicini invidia, metu, ut ſolet, excitati; cum viderent hos advenas brevi tempore ad tantam nominis & potentiæ magnitudinem inclaruiſſe, urbis opprimendæ conſilia ceperunt.

DISSERTATIO XXXIII.

De Sarracenorum origine & rebus geſtis, Chronicon VVolfgangi Drechſleri.

597. NAſcitur Machometus patre Abdara, matre Emma, ex gente Iſmaëlitarum, temporibus Mauricii imperatoris, & Gregorii Pontificis Romani.

Notæ in Chronicon Sarracenicum.

597. N*Ihil hic ſani. Natus eſt* Muhammed *Anno Alexandri* Iↄ

ccc

CCC LXXXII. *qui eſt Chriſti* IↃ LXX. *die quinta Maji, regnante Iuſtino Iuniore, Pontifice Gregorio Magno. Pater ejus* Abdalla, *mater* Emina.

623. Machometus ſuo pernicioſo dogmate, inſtinctu & inſidiis Joannis Antiocheni, & Sergii Italici monachi, Alcoranum ſcripſit: & ſeducens Arabas, alioſque Aſiaticos populos, eos Sarracenos nuncupavit.

Initium Iſlamiſmi *incidit in A. Ch.* IↃ CC XXII. *diem* XVI. *Iulii, unde æra Arabum* Hitzra *initium capit.* Saracenorum *nomen (quos corrupte noſter Sarracenos vocat) non à Muhammede demum introductum, ſed longè antiquius eſt. Dicti autem* Saraceni, *non à* Sara, *neque à* Saraka, *quod eſt prædari, quanquam eſſent* λῃςρικοὶ, *ſed à* Scherk, *id eſt*, *Oriente, idemque ſignificat quod Orientales.*

637. Moritur Machometus ipſe ætatis agens annum quadrageſimum. Sepultus in Mecha Perſidis urbe.

Obiit A. Ch. IↃ C XXXI. *annos natus ſexaginta quinque vel ſex. Sepultus non in* Mecha *Perſidis, ſed Arabiæ.*

638. Hieroſolyma poſt biennalem obſidionem à Sarracenis devaſtata.

Hieroſolyma A. Ch. IↃ C XXXVII. *ab* Omar *ſecundo Chalifa capta, non vero*

devaſtata. Conceſſit enim civibus ſecuritatem.

639. Tota Syria à Sarracenis clade affecta eſt.

Anno Ch. IↃ C XXXVIII. Omar *Syriam totam, pulſis Romanis, ſubjecit ſibi: quæ impoſterum* Scham *dicta, id eſt, ſiniſtra, reſpectu* Aljemen, *id eſt, dextræ, quæ Arabia Felix.*

640. Sarraceni ab Imperatore Romano defecerunt.

641. Antiochia à Sarracenis everſa, Damaſcus capta, Phœnicia oppugnata, ſubacta Ægyptus.

Non Antiochia *ſed* Cæſarea. Damaſcus *jam ante A.* IↃ C XXXV. *capta Alexandria A.* IↃ C XL.

648. Maximam partem Africæ Sarraceni ſuo imperio ſubjugârunt.

Secundum Rodericum Toletanum Libya, Marmarica, Pentapolis, Æthyopia *ſupra Ægyptum. Sed inſuper quoque* Numidia *&* Africa *propriè ſic dicta. Tum temporis ſtructa* Kairawana *& Africa pars ab Arabibus* Barbaria *dicta.*

655. Rhodus nobiliſſima inſula à Sarracenis oppugnata eſt, quam capientes, plurimum ex ea auri avexerunt: & Coloſſum Solis nobilem, altum 110. pedes ex cujus ære Judæis vendito, nonin-

noningentos camelos oneraſſe dicuntur.

Factum biennio ante. De Coloſſi avectione videatur Cedrenus.

656. Ægeum mare piratica infeſtârunt, & Cycladibus inſulis multa intulerunt damna.

663. Saraceni Olympium Italiæ Exarchum in Sicilia cum toto exercitu fuderunt.

668. Conſtantinus IV. cum Muchamedo Rege Sarracenorum hac conditione iniit pacem, ut Sarraceni magnam vim auri Romanis exolverent, cum inſigni equo, & cum nobili puero.

Nullus tum Muchamed, ſed Muavia adhuc Chalifatu potiebatur.

672. Irrupêre Sarraceni in Siciliam, & Syracuſis captis, omnique terra devaſtata, Alexandriam rediêre.

Factum A. I Ↄ C LXIX.

675. Obſeſſa eſt Conſtantinopolis à Sarracenis, quæ fruſtra ſæpius oppugnata, cùm navibus conſcenſis domum redire ſtatuiſſent, major eorum pars naufragiis periit.

Obſidio quinquennio ante cepit. Cum vero claſſis Sarracenica à Callinico *Cyzici Græco igne combuſta fuiſſet, & peſtilentia Muſlimos depopularetur, inſuperque*

perque Mardaitæ *ardua Libani occupaſſent, ſoluta eſt.*

676. Romani Sarracenos vicerunt, occiſis triginta eorum millibus.

679. Pax ſecundò inter Romanos ac Sarracenos ad triginta annos hac lege facta eſt, ut Sarraceni Romanis tria millia librarum auri, & quinquaginta captivos nobiles cum totidem equis annuatim ſolverent.

686. Sarraceni Rege Ammiratho Africam & Libyam invaſerunt, multis ſpoliis ditati.

Amir *lingua Arabum Ducem ſignificat, ex quo proprium nomen* Amirath *fecerunt.*

687. Mortuo Conſtantino, Juſtinianus ejuſmodi conditionibus cum Sarracenis pacem iniit, ut Africa & Libya imperio reſtituta, per decem annos ſingulis diebus mille aureos, & equum cum nobili puero loco tributi penderent.

688. Hoc fœdere rupto Juſtinianus pugnam cum Sarracenis iniens, plurimum damni ab eis retulit.

692. Fuſis per Sarracenos Romanis, nomen Sarracenum crevit, dignitas Romanorum valde imminuta eſt.

698. Abimelech Sarracenorum Rex Afri-

Africam invadens, non diu victoria gaviſus eſt.

700. Romani Syriam deprædantes, ducenta millia Sarracenorum fuderunt.

706. Contentione de imperio inter Juſtinianum & Leontium orta, Sarraceni Africam rurſus occupaverunt.

710. Sarraceni ex Libya navigantes, primum intulerunt pedem Hiſpaniæ, vaſtantes Tarraconenſem, Bethicam & Luſitaniam.

Factum anno uno citius. Dux Saracenorum Tarif. *Nota Hiſtoria ex ſcriptoribus rerum Hiſpanicarum.*

718. Cum trecentis navibus Sarraceni Aſiatici Conſtantinopolim appulere, & eam mari terraque acriter oppugnârunt. Eodem anno in Bulgaris duo & viginti millia Sarracenorum cæſa.

719. Zulemon Sarracenorum Rex, in caſtris ante Conſtantinopolim moritur, ſublato in ejus locum Ammiratho.

*Obiit A.*IↃCCXVII. *non in caſtris ante Conſtantinopolin, ſed in Syria apud Kinſarinam. Hic iterum nugæ de Ammiratho. Succeſſorem habuit Omarum patruelem ſuum.*

720. In obſidione Conſtantinopolitanæ urbis multi ex Sarracenis, fame, peſte, & frigore interierunt. Superſtites cùm domum

mum reverti ſtatuiſſent, exorta tempeſtate maris, & igne de cœlo cadente, partim igni, partim aquis conſumpti ſunt: adeò ut ex claſſe trium millium navium, quinque tantùm naves evaſerint. Duravit hæc obſidio totum biennium. Eodem anno Sarraceni reſarturi perpeſſa mala, cum ingenti exercitu in Hiſpaniam irruunt, omnem terram, excepta Gallia, depopulantes.

Saraceni jam obtinebant totam Hiſpaniam: ſed ex ea tranſgreſſi Pyrenæos, Galliam Gothicam, *capta* Narbona, *obſeſſa* Toloſa, *depopulati ſunt. Abidimarus eſt* Abderramen, *de quo vide Rodericum cap.* XIV. *De reliquis Saracenorum in Gallia cladibus vide imprimis Annales Fuldenſes. Omittit noſter* Rhapſodus *res maximè memorabiles, imprimis famoſam illam Imperii Saraceni dilacerationem in quatuor Chalifatus, quæ facta eſt A.Ch.*IↃCCLVI. *Ab eo enim tempore alius Chalifa fuit* Bagdadi *ex Abbaſidis, alius* Kairawanæ, *alius* Fezæ *ex Idridis proſapia, alius denique* Cordubæ *ſive* Andaluziæ *ex Ommiadis.*

721. Abidimarus Sarracenorum Africanorum dux, Burdegalam Galliæ urbem vi captam diripuit: & in Pictavos movens, à Carolo Martello repreſſus eſt.

Abi-

Abidimaro autem principe occiſo, Sarraceni aliquantulum ab armis quievêre.

730. Sarraceni deductis ſecum uxoribus, liberis, ac omni familia, Galliam incurrunt, quaſi perpetuò ibi habitaturi. Cum iis pugnam iniit Carolus magnus, Gallis in auxilium vocatis, & trecentis octuaginta millibus Sarracenorum interfectis: ipſe tamen mille & quingentorum militum ex ſuis jacturam fecit.

735. Carolus Francorum Rex Avinionem, claram Galliæ urbem, à Sarracenis dolo captam ſua virtute liberavit.

737. Carolus multas alias civitates, expulſis Sarracenis, paci ac libertati reſtituit. Amorreo altero eorum duce occiſo, Athino altero fugato.

738. Idem adjutus Luitprandi Lombardiæ regis auxiliis, ex tota Gallia Sarracenos ejecit, atque expulit.

744. Conſtantinus Copronymus, Imperator Conſtantinopolitanus, claſſem adverſus Sarracenos Ægyptios duxit.

759. Sarraceni in Oriente ſuo imperio ſemper aliquid, quod Romanorum erat, ſubjecerunt, Romanis inteſtinis odiis diſſidentibus, & in ſolos Galliarum Reges intentis.

778. Carolus Magnus contra Sarracenos pugnavit feliciter in Hiſpania. Rolandus

landus Sarracenum Chriſtianos ſæpe provocantem, duello vicit: eoque ſtrato, ſuis faciliorem victoriam præbuit.

780. Leo quartus Imperator in Sarracenos Syriam inhabitantes incurſionem fecit.

803. Aaron Sarracenorum princeps cum trecentis millibus expeditis equitibus, Nicephorum Regem Conſtantinopolitanum oppugnavit, eumque tributarium reddidit, impoſitis legibus iniquiſſimis.

Hic eſt ille Harun *Raſchid ſub quo, ſed maximè filio ejus* Almamone *Arabes literaturam Græcam & Latinam ad ſe transtulerunt. Ejus enim juſſu & ſumtibus præſtantiſſima volumina in Arabicum ſermonem tranſlata ſunt. Magna huic Aaroni cum Carolo Magno interceſſit amicitia, ad quem Legatos cum ſplendidis muneribus miſit, inter quæ elephantus cui nomen* Abul Abbas. *Vide Reginonem.*

807. Sardinia & Corſica inſulæ à Sarracenis deprædatæ.

Africani Arabes ab eo tempore inſulas maris mediterranei, maxime Baleares, Corſicam, Sardiniam, Siciliam, Cretam, *non modo continuis incurſionibus deprædati ſunt, verum etiam expugnarunt.*

826. Sarraceni Cretam inſulam ſuæ ditioni

ditioni ſubjiciunt, Græcis duplici prælio ſuperatis.

828. Sarraceni Aſiatici in Palæſtinam, Africani in Siciliam irrumpunt.

Hoc anno Sicilia *proditione Euphemii, qui in ea Imperium contra Michaelem Balbum invaſerat, in poteſtatem Saracenorum venit manſitque ducentis quinquaginta circiter annis. Subfuit Chaliſis Africanis, qui Kairawanæ ſedem habebant, ex familia* Aglabi *& deinde, his extinctis,* Fatimidas Mahdianos *Dominos habuit.*

830. Bonifacius Corſicæ Comes Chriſtianorum auxilio deſtitutus, exceptis Hetruſcorum populis, trajecit in Africam, & inter Carthaginem & Uticam quatuor præliis victor extitit: & terrore nominis ſui, ex Sicilia Sarracenos domum ire ad propria defendenda compulit.

836. Multis terris Sarraceni maxima intulêre damna, & metu civitates plurimæ hinc inde ad eos defecerunt.

843. Saba rex Maurorum, Sarracenorum dux, Siciliam & ſinum Crotonienſem vaſtat, Tarentum capit: cui Theophilus Imperator, & Venetorum claſſes fruſtra reſtiterunt.

Petrus Luccari in Annalibus Raguſinis

nis dicit Abdalam Aglab *Schiſmaticum Kalipham Numidiæ ſub Baſilio Macedone Imp. claſſem, Ducibus* Saba *&* Calfugo *in Italiam miſiſſe.*

845. Sarraceni invadentes Hetruriam & Latium, Romam deprædati ſunt: ſed antequam domum redirent, plurimi naufragiis deperiêre.

846. Illyrio & Dalmatia vexata, Adriaticum mare transeuntes, Anconam Piceni urbem direptam incenderunt.

847. Leo quartus pontifex, reliquias Sarracenorum ex portu Oſtienſi ejecit, & Transtiberinam regionem contra eos munivit.

Transtiberina urbs à Leone abſoluta fuit & dedicata A. IↃ CCC LII. XXVII. *Julii &* Leonina *appellata. Vide Anaſtaſium Bibliothecarium.*

867. Sarraceni prædæ cauſa iterum irrupere in Italiam, & Beneventanum agrum in Samnitibus igne ferroque vaſtârunt: Sed à Ludovico & Lothario regibus in fugam ſunt converſi.

870. Cum Perſis Sarraceni iterârunt bella. Perſæ Turcico milite uſi (montem Caucaſum tum Turcæ habitabant, & vocabantur Tartari) illorum auxiliis vicerunt. Ab eo uſque tempore Turcæ nunquam poſtea reliquerunt Aſiam, & in Sarraceni-

racenicum tam regnum quàm nomen tranſiverunt.

De Turcarum Imperio Perſico vide imprimis Elmacinum. Nam Leonclavius ſequitur Cedrenum & parum ſani habet. Primus Turcarum in Perſica Imperator fuit Togrulbek *filius Michaëlis. Cedrenus* Tangrolipicem *Mucaleti filium vocat. Initium regni ejus incidit in A. Ch.* cIↃ XXXVIII. *Vnde nimium anticipat noſter. Hi vero Turcæ habitabant* Ulslaxartem *in* Mawaranahhra , *eorumque regio* Turkeſtan *hodieque dicitur. Tartarorum ſive potius Tatarorum nomen tum nondum innotuerat , quod demum circa A.* cIↃ CC *ortum fuit.*

878. Ex Sicilia Sarraceni,quam ſeptimum & quadrageſimum annum tenebant, penitùs expelluntur.

Hoc vero falſum eſt. Recuperarunt quidem A. IↃ CCC LXXX. *Græci pleraſque Siciliæ civitates, Saracenos tamen penitus ejicere inſula aut de ejus poſſeſſione deturbare non potuerunt. Quin paullo poſt novus Chaliſa* Mahdi *ex Fatimidis univerſa inſula denuo potitus fuit. Poſtea cum hi Fatimidæ ſedem Chaliſatus in Ægyptum* Alcahiram *tranſtuliſſent , Siciliæ præſides regium titulum aſſumſerunt;quales Siciliæ Reges enumerantur à Fazello,* Bul-

Bulchar, Apolofarus *Muhammed*, Apochaps. *Deinde Sultani Tunetani Siciliam receperunt, quorum nomine præſes circa A.* cIↄ LX. *fuit* Belchanes,*quem alii* Beſcavectum *vocant Et ab eo tempore Normanni Siciliam oppugnarunt, quæ etiam plene A.* cIↄ XC *poſiti ſunt.*

881. Carolus Craſſus irrumpentes Sarracenos Italia arcuit.

891. Nicetes dux Conſtantinopolitani Imperatoris, egregiam victoriam de Sarracenis reportavit.

910. Sarraceni Apuliam & Calabriam invadunt.

913. Ad Lyrim Campaniæ fluvium, Sarraceni Romanorum civitates vaſtantes vincuntur.

934. Sarraceni Fraxineto irrumpentes, ad Aquas uſque pervenerunt, ubi Sagitus dux eorum cum toto exercitu deletus eſt. *Luitprandus lib.* I. *Hiſt.cap.* I. *& lib.* V. *cap.* IV. *tradit Saracenos qui* Fraxinetum *in Italia tenuerunt, fuiſſe tributarios* Abderahamenis *Regis Cordubæ. Idem tradit author Annalium de rebus Ludovici Pii ad A.* Iↄ CCC XXVI, *ſed præter hos Hiſpanos etiam Africani Saraceni magnam Calabriæ & Apuliæ partem ſub Romano & Conſtantino occuparunt, teſte eodem Luitprando lib.* I. *cap.* XII.

935. Ge-

935. Genuam Liguriæ urbem Sarraceni depopulati ſunt: collectaque ingenti præda, in Africam redierunt.

941. Hugo Italiæ rex Fraxineto capto, Sarracenam claſſem exuſſit.

944. Radamirus rex Galliciæ, maximum exercitum Sarracenorũ fudit in Hiſpania.

Nullus tum Galliciæ Rex: ſed Ramirus in Aſturia regnabat.

951. Sarraceni Calabriam, Apuliam, Lucaniam cædibus & incendiis replentes, virtute Alberici Hetruſci Marchionis repreſſi ſunt, & in agro Minturnenſi in Campania ad Lyrim fluvium ſuperati, cum acceſſionem ad urbem Romam inſtituiſſent.

952. Sarraceni ex Gargano monte, in quem ſe contulerant, incurſiones frequentes in finitimos faciunt. Beneventum captum incendunt.

969. Otho primus Germanorum Imperator, Sarracenos Italia expulit, & Garganum montem recepit.

970. Sarraceni Conſentiam recuperarunt, ex qua paulò antè ab Ungaris ejecti erant.

977. Creta inſula Sarracenis erepta.

Quomodo Saraceni Cretam expugnarint, vide Cedrenum & ex eo Curionem II. *Hiſt. Sarac. Structam tum ab iis urbem* Candiam, *unde toti inſulæ nomen,*

Q *refe-*

referunt. Quod ſi verum, miror Geographum Nubienſem, qui demum ſub Rogerio primo Siciliæ Rege vixit, nuſpiam meminiſſe Candiæ.

982. Otho ſecundus, cum Sarracenis, quibus cum ſocia arma ex fœdere Græci conjunxerant, in Calabria, magna ſua clade conflixit, Idibus Julii, fortiſſimis autem ſuorum interfectis, ipſe fuga vix ſalvus evaſit.

Hic eſt ille Otho qui pallida mors Sarracenorum *dictus fuit, Arabicæ linguæ peritus.*

1000. Alphonſus Hiſpaniæ rex, Sarracenorum oppidum quoddam, nomine Viſeum, obſidens, ſagitta percuſſus, vitam cum morte commutavit.

1007. Sarraceni duplici exercitu Italiam ingreſſi, Capuam ceperunt, Barum obſidione preſſerunt.

1009. Sarraceni Aſiatici Hieroſolymam occupárunt.

Non Aſiatici ſed Ægyptii, neque hoc anno ſed paullo ante. Nam qui Hieroſolymam occupavit, fuit Hakem *Biamrilla, aliis* Achem, *Tyrio lib.* I. *cap.* IV. Hequen *qui regnare cœpit A.* Iↄ CCCC XCVI.

1013. Henricus ſecundus Germanorum Imperator, Sarracenos Capua expulit, & duces quoſdam eorum partibus

tibus faventes gravi bello perſecutus eſt.

1028. Calyphas Ægypti præſes, Sarracenico exercitu & Turcico (qui tum Perſidem occupaverant) adjutus, templum Domini Hieroſolymis diripuit, & ſpoliavit.

Hic fuit Taher *Lizazdinilla, apud Tyrium lib. 1. c. v. corrupte* Daber, *noſtro* Dobir, *qui tamen tempora & ſucceſſiones, ut ferè ſemper, confundit & turbat. Quos errores ex profeſſo redarguet magnum opus Chronologicum noſtrum.*

1048. Calypha mortuo, Imperator Conſtantinopolitanus cum Dobire filio, & ſucceſſore ejus fœdus iniit, & ejus permiſſu Dominicum templum inſtauratum eſt.

1056. Robertus Nortmannus Capuam à Sarracenis obſeſſam liberat, & Græcos cum eis confœderatos Calabria ejicit, ſacerdotibus tantum relictis.

1060. Antiochiam & Cæſaream vexantes Sarraceni, repreſſi ſunt.

1095. Ad Cinitum oppidum, ultra Boſphorum Thracium, multi Chriſtiani à Sarracenis occiſi ſunt.

1096. 1097. Ex Hiſpania, Gallia, Anglia, Scotia, Dania, Lotaringia, Alemania, Burgundia, Lombardia, Italia multi exercitus contra Sarracenos in unum confluxe-

fluxere, animo exturbandi illos ex Hieroſolymis, & tota terra ſancta.

Hæc eſt famoſa illa Francorum ſive Latinorum in Orientem ſub Godefrido *Bullionæo expeditio, de qua prolixe geſta Dei per Francos & imprimis Tyrius de Bello ſacro.*

1098. Prædicti exercitus apud Niceam urbem duabus ſtragibus Sarracenos fuderunt. Receptæ quoque ſunt Heraclea & Tarſus.

Capta eſt Nicea *A.* cIↃ XCVII, X. *Junii. Tyrius. Rex ejus fuit* Solimannus *filius Solimanni Senioris, quem eundem eſſe cum* Cutlumuſe, *qui contra Togrulbekum Turcarum in Perſia Regem rebellavit, in Notis Chronologicis oſtendemus. Sunt enim miræ hic tenebræ, non modo in Cedreno, verum quoque in Saracenorum ſcriptoribus. Hic eſt ille Kutlumuſes quem Elmacinus* Kutlumes *vocat, ex quo nomine Erpenius* Ptolemæum *fecit.*

1099. Chriſtiani ex Antiochia expulêre Sarracenos, quam obſederunt menſibus undecim. Hoſtium centena millia occiſa, quod prælium commiſſum eſt quarto Cal. Julii.

In agro Hieroſolymitano bellum à Chriſtianis contra Sarracenos commiſſum eſt: & Dei benevolentia Sarraceni victi,

victi, Hieroſolyma à Chriſtianis recuperata, Idibus Julii menſis.

Gotfridus Bolionius Remenſis, Lotharingiæ dux, qui primus muros aſcenderat, Rex Hieroſolymorum à Chriſtianis victoribus creatur.

Eodem anno Sarraceni, duce Calyfa Babylonio, cum centenis millibus equitum, & quadringentis millibus peditum, contra Chriſtianos paraverunt exercitum: Chriſtiani autem quinque millibus equitum & quindecim millibus virorum occiſis, Hieroſolymam conſervant.

Antiochiæ tum Rex fuit quidam Accianus, *id eſt*, Axan, *alii* Caſſianum *vel* Darſianem *corrupte vocant. Quippe tum diſcordibus inter ſe Turcis Perſicis, præfecti paſſim Reges ſe conſtituerunt, unde illa* Halebi, Damaſci, Mauſulæ, Tripolis, Emeſſæ, Hellæ, Schiazaræ, Hulwani, Antiochiæ, *& alia regna. Unde faciliores Chriſtianis inter diſcordes & diſtractos victoriæ. Hieroſolymis captis Rex quidem creatus* Godefridus *Bullionæus, ſed qui Regis titulo abſtinuit: unde tumulo ejus inſcriptum:* Hic ſitus eſt inclytus Dux Godefridus. *Primus Rex fuit Balduinus frater ejus: Chalifa Babylonii ſive Bagdadenſes tum nullarum virium, neque ipſi,*

ſed Turcæ, contra Chriſtianos copias miſerunt, ut paſſim teſtatur Tyrius.

1100. Gotfridus Aſcalonem cœpit magnoque auri pondere ibi potitus eſt. Eodem anno Gotfridus moritur: cui ſucceſſit Balduinus frater.

1102. Balduinus magna ſtrage vincitur, & vix fuga incolumis evadit. Romæ mœnia, in quam reliquiæ exercitus ejus confugerant, ab hoſtibus diruuntur.

Ne erres cum noſtro. Non fuit illa Roma *Italiæ, ſed* Ramla, *ſive* Ramula *Palæſtinæ. Vide totam narrationem apud Tyrium lib.*v. *cap.*xx.xxi.

1103. Boëmundus Apuliæ rex cum cæteris in expeditionem Hieroſolymitanam profectus, à Sarracenis capitur, & poſtea à Tancredo nepote ſuo liberatur.

1104. Chriſtiani Accaron civitatem Palæſtinæ, quam alii Ptolemaida appellant, poſt vigeſimum diem obſeſſionis capiunt.

Ptolemais, *alias* Ace *dicitur Plinio teſte aliiſque. Accaron diverſa urbs eſt, in ſacris* Ekron , *quam aliqui* Cæſaream *exiſtimant. Sequior ætas* Ptolemaida Accon *appellavit.*

1105. Magna pars Sarracenorum à Chriſti fidelibus deleta eſt.

Eodem

Eodem anno Alexius Imperator Conſtantinopolitanus, conditiones pacis à Balduino oblatas, accipere cogitur.

1106. Balduinus Berythum & Sidonem, urbes maritimas ſubigit: apud Carrhas ſeditio inter Chriſtianos principes orta, maximo illis damno fuit. Irruentibus enim in illos ex improviſo hoſtibus, quidam capti, quidam duces fugati ſunt, exercitu miſerè deſtituto. Hanc notam paulo pòſt recenti de Sarracenis victoria emendavit Balduinus.

1113. Sarraceni in regnum Hieroſolymitanum ex Perſide incurrentes, regis copias fortè oblatas fugant & cædunt.

1115. Tancredus, qui patruum ſuum à Sarracenis liberaverat, ad montem regalem ab hoſtibus vincitur, & occiditur.

1117. Piſani inter Hetruſcos nobiles populi, Sarracenos ex Balearibus inſulis armis ejecerunt.

Piſani ea tempeſtate maritima potentia prævalidi, varia contra Saracenos bella geſſerunt. Nam A. cIↃ VII. Sardiniam *expugnarunt, Rege ejus* Muſacto *fugato. A.* cIↃ XXX. Carthaginem, *quam arbitror eſſe Tunetum. Deinde etiam* Corſicam *& in Sicilia* Panormum. *Bellum autem Balearicum cœpit A.* cIↃ C VIII.

 & in-

& intra triennium utraque inſula politi ſunt. Majoricæ *Rex ab ipſis in bello interfectus : Regina cum parvo filio Piſis triumphata : puer Chriſtianus ſimul & Canonicus factus, poſtremo in patrum regnum remiſſus eſt. Ergo author noſter in anno erravit ac ſcribendum* 1117. *Extant Maſſiliæ in æde Victoris verſus, quo Piſani eo in bello Balearico cæſos honoraverunt, quos non ob elegantiam (ſunt enim, ut ea tempora ferebant, barbari) ſed ut major huic narrationi lux, apponere viſum :*

Verbi incarnati de virgine mille peractis,
Annis bis centum, bis ſeptem connumeratis,
Vincere Majoricas Chriſti famulis inimicas
Tentant Piſani, Mahumeti regna profani.
Mane neci dantur: multi tamen his ſociantur
Angelicæ turbæ cœlique locantur in urbe.
Terra deſtructa claſſis redit æquore ducta,
Primum ope divina, ſimul & victrice carina,
O pia victorum bonitas, defuncta ſuorum

Cor-

Corpora claſſe gerunt Piſaſque reducere quærunt.
Sed ſimul adductus ne turbet gaudia luctus
Cæſi pro Chriſto tumulo clauduntur in iſto.

1118. Balduino ſecundo Hieroſolymorum rege mortuo, alter ejuſdem nominis ſuccedit, qui regem Perſarum devicit, atque occidit. Damaſci regem fugavit. Sed Parthorum rege ſibi reſiſtente, & illos ulciſci volente, Balduinus capitur, & vinctus ultra Euphratem cuſtodiæ demandatur.

Rex Perſarum ex familia Selguccia tum erat Mahmud *Abulcaſim, apud Leonem Afrum corrupte* Caſelus. *Hunc illum eſſe puto, quem Tyrius* Gazi *vocat, cujuſque bellum contra* Balduinum III. *de Burgo, cognomine* Aculeum *deſcribit lib.* XII. *Ceterum hic Gazi victus quidem à Balduino fuit, non tamen occiſus. Nam apoplexia periit A.* CIↃ C XXI. *ut idem cap.* XIV. *teſtatur. In alio vetuſto Chronico Auguſta impreſſo dicitur Balduinus* I. *Rex Hieroſolymorum prælio viciſſe & obtruncaſſe Regem Perſarum* Cajum. *Ubi per errorem primus Balduinus dicitur, qui erat tertius &* Cajus *idem eſt qui Gazi. Niſi quis intelligat* Muhammedem Gayateddi-

teddinum *Turcarum in Perſia Regem. Sed is eodem quo Balduinus* II. *anno obiit. Damaſci Rex , cujus hoc loco mentio fuit,* Ababak *Tagtakin Tahiruddin, Tyrio corrupte* Doldequin. *Quanquam in Elmacino quoque, pro* Ababak, *legendum videatur* Atabak, *ut norunt lingua Turcica periti.*

1119. Balduinus poſt octavum & decimum menſem inſidiis è carcere liberatus, ad ſuos revertitur.

1122. Venetorum claſſis in Syria Sarracenis moleſta fuit, Dominico Michaële duce. Fuerunt Venetis propter multa merita & virtutem conceſſa magna privilegia.

1125. Pugnatum contra Chriſtianos eſt quadringentis millibus militum, quibus occurrerunt tribus millibus virorum Chriſtiani: & Dei benignitate, ſeptem millibus hoſtium gladio cæſis, & quinque millibus aquis ſuffocatis, Chriſtiani victoriam conſecuti ſunt.

1127. In Syria Chriſtiani duabus ſtragibus fudêre Sarracenos, ubi in prima pugna duo millia Sarracenorum,& quingenti deſiderati ſunt. In altera, quamvis uterque exercitus afflictus eſt, Chriſtiani tamen victores extitêre.

1129. Rex Aſcalonitarum à Balduino repreſ-

repreſſus, Rex Damaſci tribus præliis victus.

Aſcalon *non habebat tum peculiarem Regem, ſed Ægypto Chalifa parebat, ut ex Tyrio patet. Vide ejus lib.* xv. *cap.* xxv.

1130. Balduino tertio rege Hieroſolymitano, è vivis ſublato, Fulco quartus rex conſtituitur.

1131. Tripolitanus Comes proditus occiditur. Fulco rex ab hoſtibus fugatur & iniquas conditiones, ut ex obſidione liberaretur, accepit.

1133. Chriſtiani Ægyptiis felici Marte reſtitêrunt.

1139. Aſcalon à Chriſtianis recuperatur.

1142. Fulco quartus rex in Hieroſolymis, inſequens leporem, & ex equo decidens, efflavit animam: cui ſucceſſit Balduinus filius, qui quintus rex fuit.

1143. Urbs Edeſſa, & tota ferè Meſopotamia à Sarracenis & Alapho duce Turcarum, qui jam in Oriente magni nominis erant, devicta eſt, multa & miſerabili Chriſtianorum ſtrage edita, matronis in æde D. Joannis Baptiſtæ ſupra altare ſtupratis.

Nullus tum Turcarum Dux Alaph. *Error inde ortus. Erat* Schirazæ, Halebi *&* Muſulis *potentiſſimus Rex* Atabeg Zingi,

Zingi, *apud Elmacinum corrupte* Zika, *Tyrio* Sanguinus. *Porro Haleb ab Italis* Alapia *dicebatur. Vnde ex Sanguino Alapia Rege noſter ſuum* Alaphum *fecit. Hiſtoriam captæ Edeſſa habes apud Tyrium lib.* XVI. *cap.* V.

1144. Balduinus III. quintus rex Hieroſolymorum, Gaza & Aſcalone Sarracenos ejecit: & apud Hierichunta Noradmum, Damaſcenæ militiæ principem, quinque millibus hoſtium interfectis, vicit & fugavit.

Noradinus *hic fuit Sanguini filius & ſucceſſor, cujus integrum nomen erat* Mahmud Nuradin Melic Adel. *Cinnamo & aliis perpetuo dicitur* Νουραδῖν, *& recte. Sed errat noſter dum Noradinum Damaſcenæ militiæ Principem facit.* Damaſcus *enim peculiarem adhuc Regem habebat* Mejereddinum, *quem demum A.* cIↄ c LII *Nuradin regno exuit.*

1145. Emanuel Conſtantinopolitanus Imperator, exercitus Chriſtianorum contra Sarracenos euntes, multis inſidiis fatigavit, ne quid utile Chriſtianæ Reipublicæ efficerent.

1146. Rogerius Siciliæ & Nortmannorum Rex, Sarracenos Africanos, Rege ipſorum capto, ad triginta annos ſibi tributarios reddidit.

1146. Eo

1146. Eo anno Conradus ſecundus Imperator ingentes copias pugnatorum contra Sarracenos parat : ſed pugnat infeliciter.

Ludovicus Rex Galliæ contra infideles maximam vim militum cogit.

Rogerius *hic cognomine* Burſa, *teſte Tyrio lib.*XI.*cap.*XXI. *factus eſt Siciliæ Rex A.* CIↃ C XXX. *Cinnamus eum perpetuo vocat* τ͂ Σικελῶν Τύραννον: *quoniam Græci Imperatores ejus inſulæ imperium ſibi vendicabant. Per Saracenos Africanos intellige Tunetanos, qui tamen peculiares Reges tum nondum habebant, ſed parebant Almoravidis & Almohadis.*

1147. Ex Flandria, Anglia, Lotharingia inſtructis ducentis navibus bellum contra Sarracenos inſtitutum eſt.

Hoc anno Conradus Imperator transmiſſo feliciter Boſphoro, prope hoſtes acceſſit: verum deficiente commeatu, & (ut nonnulli ajunt) frumento gypſo corrupto, coactus eſt continere curſum, & copias reducere. Quo cognito, Sarraceni à tergo inſequentes, aliquot hominum millia trucidaverunt.

Eodem anno confluit ad Imperatorem Rex Franciæ : adjuvandi illum ſtudio : ſed exercitu fame confecto, nihil præclari actum eſt.

Eodem tempore Veneti inſtructa claſſe profecti ſunt in Aſiam, opem laturi Imperatori, qui Sarracenis bellum faciebat.

1148. Hiſpani expulſis Sarracenis, Almariam & Tortoſam turrigeras urbes recuperarunt.

Eodem anno Damaſcus à Syris, Gallis, Alemannis, Hieroſolymitanis oppugnata eſt, ac extremi muri diruti: cumque jam ſpes eſſet potiundæ urbis, & expugnandi Sarracenos, exorta diſſenſione inter principes quiſque convocato ſuo exercitu, ab oppugnatione deſtitêrunt.

1149. Rex Antiochiæ Raimundus cum toto exercitu deletus à Sarracenis eſt: omnique terra ejus devaſtata, ſola Antiochia à Rege Hieroſolymorum ægrè ſervata eſt.

Raimundus *non Rex, ſed Princeps ſive Dux Antiochenus fuit. Quippe recuperata Palæſtina, viſum fuit ſolam* Hieroſolymam *regni titulo decorare: reliquæ urbes à barbaris captæ, Ducatus vel Comitatus erant, ut* Antiochia, Edeſſa, Tripolis.

1151. Rex Hieroſolymorum Balduinus, Ægyptios ac Babylonios fudit.

1158. Sarraceni ex Almaria armis profligârunt Hiſpanos.

1159. Bal-

1159. Balduinus multas civitates ejectis Sarracenis in pacem & libertatem reſtituit.

1164. Moritur Balduinus Hieroſolymitanus Rex, ſubrogatuſque eſt frater ejus Almericus, ſextus Rex.

1170. Almericus in Ægypto clara potitur victoria.

Ægypti Chaliſa ultimus tum erat Elhadech Etzarledin, *filius* Elphais, *quo occiſo* Salahadinus *ille famoſus*, *abrogato Chaliſatu Fatimidarum*, *Sultanus ſive Imperator Ægypti & Syriæ factus eſt*, *qui genus ſuum ab* Ajobo *ſive* Jobo *Patiente*, *derivabat*. *Vnde illa familia Sultanorum Ægypti erat* Ajobitarum, *quibus ſucceſſerunt* Turcomanni *& his* Circaſſi Mamalucci.

1171. Idem Rex Damiatam obſedit: ſed malis conditionibus init pacem.

1172. Sarraceni Africani plurimas fecerunt excurſiones in Hiſpaniam.

1175. Almericus Hieruſalem Rex febri extinctus: Balduinus filius ejus in Regem ungitur, ſeptimus Rex.

1177. Balduinus Saladini Ægyptiorum Regis copiis bis victis & deletis, multum auri Hieroſolymis intulit.

1180. Filia Regis Sarracenorum, quæ Pagano principi nupſerat, à Rege Siciliæ

liæ in mari, cum ſponſo domum deduceretur, capitur.

Eo anno Chriſtianæ religionis profeſſores, qui Hieroſolyma inhabitabant, vinciuntur.

1181. Maximis impenſis ac ſumptibus Carthago à Rege Sarracenorum Mauſamuntho inſtaurata eſt.

Quis ille Mauſamunthus *Carthaginis inſtaurator ſit, nemo facilè divinaverit, niſi cui Hiſtoria Arabum Africanorum propius cognita. Nulla tum Carthago inſtaurata : ſed innuit* Tunetum, *quæ ex Carthaginis ruinis crevit. Erat tum tota Africa ad fines Ægypti uſque in poteſtate* Almohadum, *quorum Imperator potentiſſimus erat* Jacob Almanzur, *cui A.* CIↃ C LXXXIV. *ſucceſſit* Muhammed Ennaſir. *Atque horum alteruter Mauſamunthus ille monſtroſus eſt : ac magis ad* Muhammed Ennaſir *inclino, quem ab aliis quoque* Mahozemutum *vocari deprehendo. Vides hic quam tetros errores Hiſtoriis induxerit Arabicarum literarum ignorantia? Ac quis ſine riſu omnia illa nominum dehoneſtamenta recenſeat? Unum refero ex quo de cæteris judicium fiat.* Emirelmumenina *vocabatur Chaliſa Saracenorum, id eſt, Princeps fidelium. Hinc noſtri fecerunt, Lambertus quidem Schafnabur-*

naburgenſis Amamurmulus, *Sigebertus* Amirmomon & Amymurlim, *Aventinus* Amaromurmelus & Matthias Paris, *qui credo cæterorum hallucinationes corrigere volebat*, Admiralius Murmelius. *Quis talia fando, temperet à riſu?*

1184. Balduinus ſeptimus Rex in Hieroſolymis, quem lepra infecerat, abſque hærede vita excedit. Nepos ejus ex ſorore Balduinus nomine, Rex quidem declaratur, ſed fatorum invidia ex illo honorum gradu eripitur: cui ſucceſſit octavus Rex Guido Luſignanus.

Inter Guidonem Hieroſolymitanum Regem, & Raimundum Tripolitanum Comitem orta diſſenſio, cauſa extitit, ut Chriſtiani in extremum diſcrimen inciderent.

1186. Congreſſi Chriſtiani cum exercitu Saladini Regis, viginti millibus ac quingentis ſuorum interfectis, miſerè occumbunt. Guido Rex capitur. Tripolitanus Comes ſubitanea morte extinguitur.

1187. Octoginta & octo annis, cùm Hieruſalem à Chriſtianis habitata eſſet, hoc anno Regi Sarracenorum, expulſis Chriſtianis, deditione tradita eſt, die ſecundo Octobris.

Eo Anno univerſam Judææ regionem hoſtis

hoſtis Sarracenus Chriſtianis eripuit: Tyro, Tripoli, & Antiochia, vix conſervatis.

Amiſſa Hieroſolyma, *regni ſedes à Chriſtianis conſtituta* Ptolemais *&* Tyrus. *Duo autem de regno contendebant* Conradus *Marchio Montiſferrati, &* Guido *Luſignanus, quorum ille* Tyri, *hic* Ptolemaide *reſidebat. Occiſo ab Aſſaſinis Conrado, Guido regnum Hieroſolymitanum Richardo Anglo ceſſit, accepta in ejus locum inſula Cypro.*

1188. Fridericus Romanorum Imperator cum Friderico filio, Philippus Galliæ, Richardus Angliæ Reges, cum plurimis aliis principibus Comitiis decernunt, relictis in Judæa Chriſtianis ſubveniendum eſſe. Inſtruitur bellum. Fridericus Imperator deductis in Syriam copiis, Armeniaque minore recepta, æſtatis tempore lavandi cauſa Selephium amnem ingreſſus periit.

Eodem anno Danica & Flandrica claſſis Africana littora infeſtavit, Sylva urbe capta, & incenſa.

Vulgaris opinio eſt hunc Fridericum *in amne quodam Cilicia, ſubmerſum. Sed non conveniunt in modo. Quidam enim equo delapſum volunt. Matthias Paris in Richardo* I. Imperator Fridericus ab Iconio

Iconio verſus Antiochiam tranſitum faciens, in flumine qui Saphet appellatur, exercitu ſuo ſalubriter transeunte, ſolus equo decidens ſubmerſus eſt. *P. Æmilius:* Dum Selephium fluvium transmittit, equo offendente, jam gravis ætate, lapſus ita affectus eſt, ut inter manus ſublatus, paullo poſt expirarit. Hoc & ab autore illius temporis Tyrio traditur & propius fidem eſt, quam quod à nonnullis fertur. Et ab ætate jam ingraveſcente gravitate hominis abhorret eum, dum poſitis armis & veſte exuta natat, exſtinctum. *Phil. Melanchthon in Declamatione de Frid. Barbaroſſa:* Deſcendit in flumen lavandi ergo. Ibi alii ferunt abreptum vortice in flumine periiſſe: alii ferunt redeunti ex aqua epar male affectum eſſe. ut fit, & incidiſſe in letalem morbum. Dicitur itaque Fridericus ex epatis morbo intra paucos dies extinctus eſſe. *Vides quam diſſentiant inter ſe ſcriptores. Sed controverſiam hanc decidat ille, qui Imperatori affuit & omnia quæ contigerunt dietim annotavit,* Tageno, *cujus Itinerarium extat inter Germanica Freheri. Is refert* caſtra poſita ad fluvium Selephicam vii. Id. Iun. Sed Imperatorem iv. Id Iun. qui erat dies Solis, circa veſperam Seleuciæ ſubito obiiſſe. *Non ergo in fluvio, ſed Seleu-*

Seleucia & quidem ſubito obiit, proculdubio apoplecticus, qui ſenum peremtorius fere morbus eſſe ſolet.

1189. Guido collectis copiis Aconem graviter obſidet, ſed Saladini aſtutia ſemper vincitur, magna clades Chriſtianis illata morbo, fame, armis. Sibylla Guidonis uxor cum quatuor filiis, in caſtris moritur dyſenteria.

1190. Franciæ & Galliæ Rex, conjunctis ſuis navibus cum Guidonis exercitu, Aconem oppugnant.

1191. Acon poſt biennalem obſidionem conditionibus ſeſe dedidit.

1192. Inter Philippum & Richardum Reges ſimultate orta, copiæ disjunguntur, & Rex Galliæ domum rediit. Angliæ autem Rex diutius aliquantulum experiebatur belli fortunam, ſed fruſtra.

Eodem anno Venetæ quoque & Piſanæ claſſis disjunctio, Chriſtianæ Reipublicæ perniciosa fuit: quia & ipſæ diſceſſum parantes, odiorum cauſas domum ſecum attulerunt.

1193. Sultanus Saladinus Imperator Sarracenæ gentis, rebus geſtis, moderatione & fortitudine inſignis, efflavit animam, filiis ejus regnum inter ſe diſpertientibus.

Hujus funus ſignifer præceſſit, in lancea

tunicam

tunicam ejus interiorem præferens ac altum inclamans: Salahadinus Aſiæ ac totius Orientis domitor, illud unum ſecum defert. *Quæ Boccacius hoc carmine expreſſit:*

Vixi divitiis clarus tumidúſque trophæis,
Sed pannum heu nigrum nil niſi morte tuli.

De ſucceſſoribus ejus non leves apud Hiſtoricos turba ignorantia rerum Arabicarum. Ita autem ſe ordo habet: Salahadinus *ob.* CIↃ C XCIII. *Ei ſucceſſit filius* Oſman *Almelic Alaziz. Huic filius* Muhammed *Almelic Almanſor A.* CIↃ C XCVIII. *Poſt quem* Alis Nuradinus, *alter filius Salahadini anno eodem. Et tum demum* Abubeker *Seifedinus filius Ajobi Salahadini frater. Hæc ex Cl. Golio, collega noſtro honorando. De quibus plura in Opere Chronologico.*

1195. Sarraceni Africani in Hiſpaniam irruentes, binis, ut nunc ſunt, regnis potiuntur, Caſtellæ & Granatæ.

Hæc eſt expeditio Iuſefi *Aben Teſſefin, qui totam terram* Vandaliæ (*id eſt, Hiſpaniæ in quantum parebat Saracenis*) *occupavit & fuit Monarcha cismarinus & transmarinus. Vide Rod. Tolet. cap.* XLVIII. *Hiſt. Arab.*

1198. Hen-

1198. Henricus Imperator Moguntino Archiepiſcopo, & Othone Saxoniæ electore belli præfectis, ac pleriſque aliis magni nominis viris, novas inſtruxit copias contra Sarracenos: & receptis ad certum numerum civitatibus, conſtituunt Chriſtiani Regem, Hamericum nominatum. Fuit in eadem expeditione Hermannus Landgravius Turingiæ.

Hamericus *hic eſt* Almericus, *frater Guidonis Luſignarii, Rex Cypri. Vide continuat. Tyrii lib.* II. *cap.* XVI. XVII.

1199. Henrico Imperatore mortuo, duces modò dicti victoriam deſperantes, in Germaniam revertuntur.

1200. Sarraceni poſt captam crudeliter Joppen, ſævierunt in omnes Chriſtianos.

1202. Africani Sarraceni utranque Hiſpaniam igne & cæde vaſtârunt, excurſionibus in Galliam quoque factis.

Cum Almoravidas Africa exuiſſent Almohadæ, *eorum Imperator* Muhammed *Ennaſir, ille quem ſupra corruptiſſime noſter Mauſamunthum vocavit, in Hiſpaniam trajecit eamque totam fere pervaſit ad Galliæ fines uſque. Eo ingenti ad* Navas Toloſanas *à Chriſtianis prælio, in quo ducenta Saracenorum millia ciciderunt, victo, dilaceratum fuit Almohadarum in Hiſpa-*

Hiſpania & Africa vaſtiſſimum Imperium. Vnde nata regna Fezæ, Marucco, Tunis, Tremeſen, & Granadæ.

1216. Friderico ſecundo Imperatore nova expeditio in Syriam decreta, multis principibus conſpirantibus contra Sarracenos.

Eodem anno in ſuburbio Aconis civitatis, exercitus Chriſtianorum confluunt, & civitatem Damiatam, Ægypti urbem, ab impiis munitam obſident.

1217. Quatuor Hiſpaniæ Reges, collecto in unum exercitu, Sarracenos repreſſerunt, ex Betica tamen ejicere non valuerunt.

1221. Damiata Sultano reddita, Chriſtiani Aconem & Tyrum redierunt.

Damiata, *clauſtrum Ægypti munitiſſimum, vel eadem cum priſco Peluſio, vel haud longe diſtans, ſæpius à Chriſtianis, ſed infelici eventu, capta. In hujus urbis expugnatione præcipua* Harlemenſium *Batavorum gloria, cujus documenta adhuc ibidem in ſummo templo conſpicua.*

1228. Fridericus Imperator in Syriam profectus, inducias cum Sarracenis pepigit: & Hieroſolyma cum ſuis copiis, regio diademate honorandus, ingreſſus eſt.

1237. Chriſtianorum exercitus, cui Theo-

Theobaldus Navarræ Rex præfuit, inter Gazam & Ptolemaida occubuit.

1244. Sarraceni à Ferdinando Rege forti & celebri ex Hiſpaniis expulſi.

Hoc falſum eſt, niſi de parte tantum aliqua Hiſpaniæ intelligas. Nam tum Granadæ *regnabat* Muhammed *Alhamar, cujus poſteritas ad A. uſque* cIↃ cccc xcII. *id regnum obtinuit,* Murciæ *vero quidam* Hudiel.

1247. Sarraceni Aſiatici Chriſtianos in Syria vexârunt, & ſepulchrum Chriſti ignominiosè defœdârunt.

Hæc vaſtatio à Choraſmiis *facta, quos Latini ſcriptores corrupte* Groſſonios *vocant. Quæ autem fortuna* Choraſmios *ex longinquis illis ad mare Caſpium & Oxum regionibus, Hieroſolymam expulerit, paucis indicandum eſt, quoniam vulgo confuſe tota res traditur.* Choraſmii, *collapſa Selgucciorum potentia, Perſiam rectore vacuam occuparunt, ut ex Haithone cap. xv. colligimus, cum quo conſentit Mirkond apud Texeiram in Chalifa Nacer. Rex ipſorum fuit* Mahamed, *quem Leunclavius corrupte vocat* Curſumen, *ſive* Curiſemin *Regem Balchæ & Choraſaniæ. Vox* Curſum *ab interprete Turcico detorta ex voce* Choworazm, *quo nomine Choraſmios Arabes appellant. Factum hoc circa A.*

ca A. clↄcc. *Et expulſi ſedibus ſuis Choraſmii à* Tataris *tum recens emergentibus videntur. Porro* Zingis *Chan non contentus Mawaralnahhra & Scythia, in* Perſiam *quoque irrupit A.* clↄcc xxiv. *Ea ejecti* Choraſmii *creato in defuncti Muhammedis locum* Rege Tſclalleddin, *Haithoni* Jalaladin, Bagdadum *occuparunt: ſed nec ibi ſecuri, diverſa fuga, alii in* Indiam & Multan *fugerunt, alii in* Syriam *& occidentem verſus. Qui in* Indiam, *illi Regem habuerunt* Tſclaledinum, *victum ibidem & occiſum ab* Oktai *Zingis ſucceſſore, ut Mirkond teſtatur. Qui in Syriam, eorum Princeps fuit* Bartat *teſte Haithone, atque hic eſt ille Hieroſolymorum vaſtator. Totam Tragœdiam ediſſerit Matthæus Paris in Henrico* III. *Rege Angliæ, quem vide.*

1248. Ludovicus Rex Galliæ, exercitum trajecit in Syriam, animo expugnandi Sarracenos, & cupiditate liberandi Chriſtianos.

1249. Congreſſus Ludovicus Galliæ Rex cum Sarracenis, Damiatam civitatem populoſam ac turrigeram cepit.

1250. Cùm inter procellas pugnæ ad Faramiam à Sarracenis comprehenderetur Ludovicus Rex cum Carolo & Alphonſo fratribus, reddidit Damiatam:

quo facto ſuæ ſuorumque ſaluti conſuluit, & ex vinculis liberatus eſt. Captus Rex eſt die quinto Aprilis.

1252. Sarraceni Baleares amiſerunt inſulas, quas occupavit Dux Tarraconenſium.

Majoricæ *Rex Saracenus* Retabohig *erat, quem* Jacobus I. *expugnator ſive Victor Aragonum Rex ſuperatum barba ex latibulo, in quod fugerat, protraxit. Idem* Valentiam *&* Murciam *Saracenis eripuit, quorum Rex erat* Zeid *Aben* Zeid.

1261. Hiſpaniæ Reges inter ſe diſcordes, alius Gallos ſocios ad ſe allexit, alter Sarracenum militem adverſus fratrem conduxit, ſuo ſuorumque maximo incommodo.

1262. Factiones Veneta & Genuenſis, Chriſtianos Ptolemaidem & Tyrum incolentes, inteſtinis odiis exercuerunt.

De cruentis his Venetorum & Genuenſium factionibus quæ in diuturna bella eruperunt, vide continuat. Tyrii lib. IV. *cap.* XI. XII.

1265. Expulêre ex Syria Sarraceni Chriſtianos.

1268. Antiochia à Bodegaro Sultano vaſtata.

Hic Bodegar, *aliis* Bandodacar *vel* Bendecar

decar *ex monſtroſis illis Saracenorum Regibus eſt quos Chriſtiani ignorantia Lingua & Hiſtoria Arabum commenti ſunt. Nihil enim ſani habet Hiſtoria horum temporum in Ægyptiis Sultanis. Omnia detorta, confuſa. Sic ſub unius* Meledini *nomine complectuntur tres Sultanos Ægypti , nimirum* Muhammed *Naſiredin*, Abubekrum *Seifedin &* Ajobum *Neghmedin. Sic* Ubego *Turcomanno , quem corrupto nomine vocant* Melchemum, *pro* Melic Elmues, *ſtatim ſufficiunt ſuum* Bendodacar, *quem inſuper Monachus Paduanus lib.* III. *Chron. vocat* Bethogar. *Ita unius* Bendocari *nomine complectuntur tres Sultanos* , Almanſorem *Nuredinum*, Catum *Almelic Almudaffer &* Bibarſum *Almelic Addahir Rucnuddinum, qui proprie eſt ille Bendodacar. Illud enim* Dacar *eſt expreſſum ex* Dahir. *Sicut verò unum* Bendocar *pro tribus Sultanis nobis obtrudunt ; ita pro uno* Calavone *qui regnavit A.* cIↄ cc lxxx. *tres confingunt*, Helpin , Melechait & Alphir. *Sed Augiæ ſtabulum citius perpurgaveris quam hæc Latinorum σκύβαλα ex Saracenorum rebus.*

1270. Iterum Rex Galliæ Ludovicus cum filiis tribus ingentes copias, contra Sarracenos, in Africam duxit: ubi cùm

contra illos feliciter pugnatum eſſet, Carthaginem obſedit: ſed peſtis exercitum inficiens, Regem, ſimulque filium ejus Joannem vita privavit: & ſic ſoluta eſt obſidio.

Carthaginem denuo vocat Tunetum *ut ſupra dictum. Series Regum Tunetanorum non extat niſi mutila admodum & corrupta. Ab* Abu Zacharia *primo Rege, ad* Mule Haſſan *qui noſtris Muleaſſes, regnarunt Tuneti triginta tres Reges, ut P. Luccari in Annalibus Ragaſinis teſtatur lib.* IV.

1281. Armenii & Scythæ ad Gamalam Judææ urbem cum ipſa penè urbe à Saracenis delentur.

Armenia *tum Chriſtianis Regibus parebat ex quibus* Tivonus, *ſive* Thinus, *ſive* Johannes, Tataros *Perſicos auxilio contra Saracenos evocavit.* Tatarorum *Rex & ipſe Chriſtianus erat* Abaga *ſive* Abkai. *De hoc bello vide continuat. Tyr. lib.* V. *cap.* II.

1289. Sultanus Ægypti Rex Tripolim incendit, Chriſtianos in ſervitutem abigit.

1290. Tyrus, Sidon, Tripolis, Berithus, ab eodem incenſæ & complanatæ. Ptolemais fuga diſperſis Chriſtianis, ſine vi capta atque diruta: fundamentis quoque

que effoſſis, Chriſtiani qui urbem reliquerant, in Cretam fugientes, periêrunt naufragio.

De miſero urbis Ptolemaidis *ſtatu circa ea tempora vide mira & horrenda apud continuat. Tyrii lib.* v. *cap.* v. Nec dubium, *inquit*, ſi Saraceni violatis induciis contra ſceleratos homines venire tardaſſent, aut fulminibus aut terræ hiatu Deus perdidiſſet urbem. *Sic Bellum ſacrum excidio Ptolemaidis terminatum, fuit & ab eo tempore inacceſſa Chriſtianis exercitibus Palæſtina manſit. Ita cum Hieroſolymorum regni fine & nos deſinamus.*

FINIS.

INDEX MATERIARUM
hoc Opere contentârum.

GELRIAE DVCATVS. pag. 1

Ejus ſituatio, art. 1. *A quibus antiquitus habitata gentibus*, art. 2. *Prima regni Francici ſedes; terra Salica, cui lex Salica originem dedit*, art. 3. *Zutphaniæ origo*, art. 4. *Vnde Gelria nomen acceperit*, art. 5. *Quamdiu floruerit*, art. 6. *Qui Gelriæ principes & præfecti fuerint*, art. 7. *Quomodo creverit*, art. 8. 9. *Quæ bella geſta ſint*, art. 10. *Bellum inteſtinum inter Heckeros & Bronchorſtios*, art. 11. *Inter Arnoldum & Adolphum patrem & filium*, art. 12. *Carolo Audaci Duci Burgundiæ traditus uterque ducatus*, art. 13.

NEOMAGVM. pag. 8

Batavorum origo, eorum ſedes Neomagum, art. 1. *Quando celebres maxime fuerint*, art. 2. 3. *Francis ſubjecti, eorum diviſio*, art. 4. *Origo nominis*, art. 5. *Ejus ſtatus & dignitas*, art. 6. 7. 8. 9. *Immunitates*, art. 11. *Adminiſtratio*, art. 12. *Quando ordinibus fœderati Belgii ſubjecta*, art. 13. *Quas calamitates ſenſerit*, art. 14.

BOM-

BOMMELENSIS INSULA & URBS. pag.15

Situs & ingenium loci, art. 2. *Origo*, art. 3. *Privilegia*, art. 4. *Cujus juris & quibus ſubjecta*, ibid. *Quas graves ſenſerit clades*, art. 5. *Felix contra hoſtes*, art. 6. 7. 8. *Ad Anſeaticas ſpectat*, art. 9.

TILENSIS INSULA & URBS. pag. 21

Quando cœperit, art. 1. 2. *Quæ incrementa ſumſerit*, art. 3. *Quas mutationes experta ſit*, art. 4. *Quibus cladibus & obſidionibus celebris*, art. 5. 6. *Una ex Anſeaticis. Unde illud nomen Anſeaticæ ortum*, art. 7.

ZUTPHANIAE COMITATUS & URBS. pag. 27

Ejus antiquitas, art. 1. *Unde nomen acceperit*, art. 2. *Comitatus unde originem ducant*, art. 3. *Series Comitum Zutphaniæ*, art. 4. *Quomodo ad Ottonem Naſſaviæ Comitem pervenerit*, art. 5. *Gelriæ adjicitur*, art. 6. *Quomodo dividatur*, art. 7. *Deſcriptio & ſituatio urbis*, art. 8. *Ob mercaturam celebratur*, art. 9. *Forma adminiſtrationis*, art. 10. 11. *Gimnaſium celebre quibus magnis viris ortum dederit*, art. 12. *Quæ bella ſuſtinuerit*, art. 13. 14.

Quas contentiones cum Daventriis, art. 15. *Frederici Toletani in eam urbem immanitas*, art. 16. 17.

COMITATUS VELAVIAE & URBS ARNHEMUM. pag. 33

Velaviæ ſitus, denominatio, art. 1. 2. *Marſilii antiqui ejus incolæ*, art. 3. *Quibus ſubjecta comitibus, & quas viciſſitudines experta ſit*, art. 4. 5. 6. *Quomodo dividatur*, art. 7. *Arnhemum primaria Velaviæ urbs*, art. 8. *Regimen ejus urbis*, art. 9. *ſub quibus jus civitatis & privilegia acceperit*, art. 11. *Summa Arnhemenſium erga principes ſuos fidelitas*, art. 12. *Quibus jactata fuerit caſibus*, art. 13. 14. 15.

URBS DOESBURGUM. pag. 40

Quando & à quibus conſtituta ſit, art. 1. 2. 3. *Druſi, à quo condita, obitus*, art. 4. *Prima Romanorum contra Romanos ſedes*, art. 5. *A Romanis ad Francos devenit, unde nomen acceperit, prima Franciæ Regum ſedes*, art. 6. *Quas calamitates ſenſerit, Normannis eam occupantibus*, art. 7. *Henrici Ducis in bello prudentia*, ibid. *Quam fortunam experta ſit*, art. 9. 10. 11.

H'ARDERVICUM URBS. pag. 46

Vbi ſita, art. 1. *Ejus Antiquitas*, art. 2.

Qui-

Quibus incrementum debeat, piſcatura, mercatura, & literis, art. 3. *Incrementum ejus internum & externum*, art. 5. *Ejus privilegia præcipua*, art. 6. *Calamitates quas ſenſit*, art. 7. *Quid ei deſit*, art. 8.

ACADEMIAE. pag. 54

Earum neceſſitas & utilitas, art. 1. 2. 3. 4. *De Academia Gelro Zutphanienſi, quid ordines Gelriæ Zutphaniæque moverit ad eam conſtituendam*, art. 5. 6. *Forma, leges, ſubjectum recipiens & privilegia ejus Academiæ*, art. 7. 8. 9. 10. 11. *Decus Academiarum*, art. 12.

NAVIGATIO & PORTUS. pag. 61

Cui bono & uſui navigatio ſit, art. 1. *Ejus finis*, art. 2. 3. 4. *Portuum neceſſitas*, art. 5. 7. *Quæ ad bonum portum requirantur*, art. 6. 9. 10. *princeps navigationum portuumque finis quæ?* art. 8.

TRANSISALANIA & URBS ZWOLLA. pag. 67

Denominatio, ſitus & origo Transiſalaniæ, art. 1. *à quibus occupata*, art. 1. 2. 3. *Scopus aſſociationis Vrbium Anſeaticarum*, art. 4. *Cauſa belli Transiſalani inter Campenſes & Zwollanos*, art. 6. *Vrbs Zwolla quibus factionibus ſciſſa*, art. 7. *Officinæ monetariæ ſedes*, art. 8.

URBS CAMPENSIS. pag.72

Ejus natura, origo, & incrementa, art. 1. *Quando confœderatio urbium Hanſeaticarum cœperit*, art. 2. *Quando & à quo titulos & privilegia Imperialis civitatis acceperit*, art. 3. *Quis ejus ſtatus*, art. 4. *Occaſio belli inter Campenſes & Zwollanos*, art. 5. *Ex leviſſimis cauſis nonnunquam maxima exorta bella*, art. 6. *Qua ratione hæc urbs & Transiſalania ad domum Burgundicam pervenerit*, art. 7. 8.

VADA. pag. 77

Memorabilis ejus obſidio, art. 2. *Quando nomen & ſitum immutaverit*, art. 3. *Quoties & à quibus obſeſſa & expugnata fuerit*, art. 4. 5. *Quando Belgio acceſſerit, & quem locum, in Comitiis occupet*, art. 6. *Quibus mediis exigua oppidula ad ſummam magnificentiam perveniant.* art. 7.

URBS ELBURGUM. pag. 81

Ubi ſita, art. 1. *A quo civitatis privilegia acceperit*, art. 2. 3. *Ejus forma Ariſtocratica*, art. 4.

INDIA ORIENTALIS. pag. 84

Denominatio, art. 1. *Origo incolarum*, art. 2. *Mercatura, cauſa motiva ad frequentandam Indiam*, art. 3. *Primo à Venetis*

netis detecta, art. 5. *Luſitanis interior Africa innoteſcit*, *detecta primo Guinea in Indiam penetrant duce Vaſco de Gama*, art. 6. *Luſitanorum incommoda in transfretando mari*, art. 7. *Securiores detegunt vias*, art. 8. 9. *Batavi Indiam occupant*, art. 10. *Novum tentant in Indiam iter*, art. 11.

RESPUBLICA BELGICA. pag. 92

Quibus finibus terminetur, *quæ in ea confœderatio*, art. 1. 2. *De ejus origine*, *& admirandis incrementis*, art. 3. 4. *Quæ belli Belgici cauſa*, art. 5. 6. 7. 8. 9. 10. *Ejus belli ſubſidia unde petita. Abjurant Hiſp. Regi*, art. 11. *Fœderis Vltrajectini conditiones præcipuæ*, art. 12. *Ab hoc fœdere nomen unitarum provinciarum acceperunt*, art. 13. *Guilielmum ſuum conſtituunt Imperatorem*, *earum inſignia*, art. 14. *Generalium Ordinum munera*, art. 15. *Quanta ſumſerit incrementa*, *eorumque quatuor gradus*, art. 16. *Primus ab anno* 1581. *ad* 1609. art. 17. *Secundus ab anno* 1609. *ad* 1621. art. 18. *Tertius ab anno* 1621. *ad* 1648. art. 19. *Quartus ab anno* 1648. art. 20. *Quas calamitates medio tempore ſenſerit Belgium*, art. 21. 22. *Card. Bentivoglii de hac Republica perverſa opinio. Ea eliditur evidenti ratione*, art. 23.

Media proponuntur quibus hæc reſpublica ab omni futura corruptione vindicari & in flore vigoreque ſuo conſervari poſſit, & prima Theologica, art.24. *Media politica*, art.25.26.27.28. *Ad conſervationem hujus Reipublicæ neceſſaria præteriti ſtatus conſideratio & recordatio*, art. 29.

DE TYRANNIDE. pag.116

Ejus definitio, art.1. *Quis proprie ſtatuendus & dicendus ſit tyrannus*, art. 2. *Ea, quæ Tyrannum non conſtituunt*, art.3. *Ea, quæ Tyrannum conſtituunt*, art. 4. *Ieſuitarum perverſa de Tyrannis doctrina examinatur & refellitur*, art.5.6.7.8.9. *Quotuplices tyrannos ſtatuant*, art. 10. *Quinam Ieſuitis Tyranni primi & ſecundi generis ſint*, art.11. *Quod liceat privato occidere tyrannum*, art. 12. *Eorum ambiguitas in diſtinguendo inter tyrannum primi & ſecundi generis*, art. 13. *Vnde pateat Ieſuitas per tyrannum ſive primi ſive ſecundi generis non alios quam Euangelicos Reges & Principes & Papiſtas moderatiores intelligere*, art.14. *Quoſnam Reges & principes Ieſuitæ pro Tyrannis habeant*, art. 15.

SEDITIOSA & HORRIBILIS JESVITARVM DOCTRINA, de Tyrannide ſecunda. pag.124

Quomodo occidere licet tyrannos ex perverſa ſententia Marianæ, art.1. *Quænam perſona id facere audeat ex eadem ſententia*, art.2.3.4. *Probatur Ieſuitas authores, ſuaſores, promotores & laudatores Regicidiorum fuiſſe*, art.5. 6. 7. *& reliquis.*

EXCEPTIONES JESVITARVM & nominatim EVDAEMONIS, contra id quod in præcedenti probavimus. pag.135

Quæ excipiunt 1. *contra teſtimonia ex Mariana à nobis adducta*, pag.136. *Noſtra ad illas exceptiones reſponſa*, p. 137.138.139.140. *Quæ excipiunt* 2. *contra librum de Juſta Henrici* III. *abdicatione*, p.141. *Et noſtra ad eas exceptiones reſponſiones*, p. 142. 143. *Quæ excipiunt* 3. *contra librum* Mss. *Ioh. Guinardi Ieſuitæ*, p.144. *Et noſtra ad illam exceptionem reſponſio*, p.145.146. *Quæ excipiant* 4. *contra Apologiam pro Ioh. Caſtellio Ieſuita*, p.146. *Noſtra ad eas exceptiones reſponſa*, p.146. 147. *Quæ excipiant* 5. *contra laudationes, & quid novis reſpondendum*, p.147. *Quæ excipiant contra Author. Pontif. & quid*

nobis regerendum, p.147.148. *Quæ excipiant contra Martyrium I. Guinardi*, & *noſtra reſponſio*, p.149. *Quæ regicidia attentarint Ieſuitæ per emiſſos ſicarios*, & I.*Regicidium attentatum contra Elizabetham Angliæ Reginam*, p.150. II. *contra Wilhelmium Auriacum*, p.151. III. *contra Mauritium Auriacum*, p.152. IV. *contra Henricum* IV. *Galliæ Regem*, p.153. V.*contra Iacobum* I. *Magnæ Britanniæ Regem* p.153. *Quid Ieſuitæ ad noſtra argumenta in genere reſpondeant*, p.154. *Eorum exceptiones in ſpecie*, I.*contra exempla parricidiorum, quibus Henricum* IV. *tollere conati ſunt Ieſuitæ*, p.155.156.157. II. *contra facinus P. Barerii*, p.158. III. *contra facinus Ioh. Caſtellii*, p.158.159. *contra conjurat. Anglicanam*, & I.*contra exemplum Garnerii*, p.160. *Contra exemplum Oldecorni*, p.161. *Vna cum noſtris annexis reſponſionibus*, ibid. *Regicidia quæ perfecerunt*. I. *In Wilhelmo Auriaco*, p.163. *In Henrico* III. p.163. III. *In Henrico* IV. p.164.165. *Excuſationes Ieſuitarum contra tria præcedentia parricidia, cum noſtris ad elidendas ipſorum rationes reſponſis*, p.166.167.168.169.170.171. *Rationes aliæ, quibus ſeſe contra noſtras accuſationes purgare conantur Ieſuitæ*, & *quid eis regerendum ſit*, p.173.174.175.176. 177.178.

177. 178. *Quid reſpondendum ad ea loca qua ex Euangelicis Ieſuita citant*, & I. *ad loca I. Huſſi*, p.178. *Ad loca Lutheri*, p.178.179.II.*Ex lib*.VIII.*Sleidani*,p.179. *Ex libro contra Henricum* VIII. *Regem Angliæ*, p.179. III. *Ad Zwinglii loca*, p.180. IV. *Ad Calvini loca*, p. 180.181. *Ad Cnoxi & Buchanani loca*, p. 181.

REGNA DANIAE & NORWAGIAE. pag.183

Eorum ſitus, art.1. *Origo*, art.2. *Quæ antiquiſſima eorum memoria*,art.3.*Quando conjuncta & disjuncta regna fuerint*, art.4. *Norwegia ubi ſita,quando & quomodo inclaruerit* , art. 5. *Norwegi Normannorum nomine, quibus principatibus originem dederint*, art. 6. *Quomodo & quando Iſlandiam occuparint & in Gronlandia colonias duxerint*, art.7. *H. Grotii opinio Mexicanos à Gronlandis profectos refutatur*,art.8. *Norwagiæ ſtatus ſub Regina Margaretha* , art. 9. *Tria Regna ſeptentrionalia dividuntur*, & *cauſa illius diviſionis*, art.10. *Quos reges ſibi præfecerint Suedi & Dani* , art.11. *Status Daniæ Monarchicus. Bodini erronea opinio eliditur*, art.12. *Regnum Daniæ electivum. Norwagiæ vero ſucceſſivum* , art. 13. *Quando electio ſucceſſioni præferenda*, art.14.

art. 14. *Bodini erronea ſententia de jure majeſtatis*, art. 15. *Imperatoris authoritatem non agnoſcunt Daniæ Reges*, art. 16. *Quanam ſuprema Daniæ ſit potentia*, art. 17. *Iſlandorum mores*, art. 18. *Quis hodie Daniæ præſit*, art. 19.

HVNNORVM IMPERIVM. pag. 191

Ejus magnitudo, antiquitas & origo, art. 1. 2. *Quanam gens hodie Hunnorum linguam retineat, exponitur*, art. 3. *Vnde egreſſi ſint Hunni, cauſa egreſſionis & quam regionem occuparint*, art. 4. *Quando Regia Hunnorum majeſtas cæperit, & qui primus eorum Rex fuerit, & quas provincias occuparint*, art. 5. *Romanos non tam virtute quam numero opprimere conantur*, art. 6. *Equitatu prævalidi*, art. 7. *Quo aſtu Valentinianum aggreſſi, & atrox inter Hunnos & Romanos prælium*, art. 8. *Quantopere admiratus fuerit Romanorum baliſtas & tormenta ignivoma*, art. 9. *Quos errores in obſidione Aquilicæ commiſerit. Quantopere ducibus obſtinatio in obſidionibus noceat*, art 10. *Quibus virtutibus Attila præditus fuerit*, art. 11. *Probatur eum non fuiſſe Nemrothi nepotem*, art. 12. *Quæ illi cum Timuro communia, Attilæ interitus, & qua occaſione Hunni in Scythiam repulſi ſint*, art. 13.

Quare & quando Siculi appellati, art. 14. *Secunda eorum in Pannoniam irruptio*, art. 15. *Quando & quamdiu Hungari fidem Chriſtianam aſſumſerint*, art. 16. *Petrus Stephani ſucceſſor qua fortuna in Hungaria regnarit*, art. 17. *Hungaria ad fidem Chriſtianam converſa, varia Hungarorum in bello gerendo fortuna, deque eorum errore circa Nilum, & reliquiis quas in Hungariam attulerint*, art. 18. *Quo modo in Hungaria ſub Bela* IV. *vaſtata fuerit*, art. 19. *Quomodo Tatari univerſam Hungariam deſtraxerint*, art. 20. *Vrbs Waradinum everſa, & ejus urbis fundatio & ſitus. Quæ in Hungaria regiminis forma*, art. 21. *Quæ miſeranda ſub Ladiſlao* IV. *Hungariæ conditio fuerit*, art. 22. *Quando antiquam gloriam recuperarit*, art. 23. *Quatenus Turcæ Hungaria potiti ſint, qui in Tranſylvania principes regnarint*, art. 24. *Quale Regni Hungariæ regimen, & quod Palatini in Hungaria munus ſit*, art. 25. *T. Attila Hunnorum primus Monarcha.*

NASSAVIAE COMITATVS. pag. 207

Ejus ſitus, eminentia, & à quo conſtitutus, art. 1. *Quando illorum Comitum nomen inclaruerit*, art. 2. *Quomodo Gelria Comitatus ad Naſſaviæ Comites pervenerit*

nerit ab eiſque iterum ad alios devolutus ſit, art. 3. *Quas ditiones ſub Henrico* II. *Walramo & Ottone* III. *obtinuerint, quid commodi habeat jus primogenituræ*, art. 4. *Quam magnum incrementum Naſſavica domus ab Adolpho Henrici* II. *nepote acceperit. Quomodo ad Imperium Romanum pervenerit. Idem Adolphus, deque diſſidiis inter Adolphum & Albertum Auſtriæ Ducem, donec Mauritius Naſſavius Albertum ſuperarit*, art. 6. *Quomodo Engelbertus Flandriæ & Belgii proprinceps factus ſit, qui ei uſque ad Guilielmum ſucceſſerint*, art. 7. *De bello Belgico cujus author ſuaſorque fuit Guilielmus Naſſavius, contra Hiſpanicam tyrannidem*, art. 8. 9. 10. 11. 12. *Qui Belgiæ provinciis ex domo Naſſavica in hoc uſque tempus præpoſiti fuerint*, art. 13.

CLIVIAE DUCATUS. pag. 216

Ejus ſitus, & quarum gentium olim ſedes fuerit, art. 1. *Quomodo à Romanis ad Francos pervenerit*, art. 2. *Quo tempore Clivia præfectos acceperit*, art. 3. *Qui primi Cliviæ Comites fuerint, & quæ de ſucceſſione diſſidia*, art. 4. *Clivia & Marca conjunguntur, & ſalutaris ejus conjunctionis finis*, art. 5. *Series Ducum Cliviæ*, art. 6. *Quomodo Adolphus Keiſerswerda vindicaverit,*

caverit, ac ab ejus fratre Gerhardo eam abalienaverit, quam periculoſum ſit Reipublicæ partem ejus qualemcunque abalienare, art. 7. *Quæ ditiones ſub Adolpho Cliviæ acceſſerint, unde Longobardorum vocabulum fluxerit*, art. 8. *Grave bellum inter Ioh. Cliviæ Ducem & Epiſcopos Colonienſes, & quomodo compoſita fuerit illa controverſia*, art. 9. *Quæ præterea bella geſſerit, quomodo Philippo Bono ſuppetias tulerit. Quod matrimonium cum Ioh. Burgundi filia contraxerit*, art. 10. *Quando Comitatus Cattemeliboci Cliviæ acceſſerit*, art. 11. *Quando conjunctio facta inter Ducatus Iuliæ, Cliviæ & Montium*, art. 12. *Quando Gelria Cliviæ acceſſerit, & iterum ab ea avulſa fuerit*, art. 13. *Qua ratione Wilhelmus anno* 1543. *Rempublicam auxerit*, art. 13. *Ejus filius natu major Carolus Frid. in Italia ex veneno obiit, periculoſas omnino principibus peregrinationes eſſe*, art. 14. *Quis ei ſucceſſerit, quando familiæ Marcanorum finis impoſitus fuerit*, art. 15. *Quæ controverſiæ de ſucceſſione Cliviæ, Iuliæ & Montium obortæ ſint*, art. 16. 17. *Quomodo Clivia ad Electores Brandenburgicos pervenerit*, art. 18. *Quomodo domus Brandenburgica ab exiguis initiis ad ſummam potentiam pervenerit*, ibid. *Quæ requirantur ad ſalutem*

lutem Cliviæ in ſpecie & omnium aliarum Rerumpublicarum in genere, art.19. 20.21.22.23.24.25.26.27.28.29.

MEXICANVM IMPERIVM. pag.232

Mexicanorum axiomata, art.1. *Extraneum eligunt Regem*, art. 2. *Rex eorum moribundus diſſuadet hæreditariam ſucceſſionem*, art.3. *Quibus bonis legibus & inſtitutis Regnum Mexicanum confirmatum ſit*, art. 4. *De rebus geſtis Tlacaellel: & in quantum magnanimus Princeps Reipublicæ proſit*, art.5. *Quæ Reipub. adminiſtrandæ munia inſtituerit Moteſuma*, art 6. *Splendidis ædificiis urbs eorum exornatur*, art. 7. *Soli nobiles in Regia verſantur plebe penitus excluſa*, art. 8. *Quare juniores utplurimum ad Regnum evehantur*,art.9.*Regis Mexicanorum pudida magnificentia*, art.10.

DE MAGISTRATV. pag.238

Ejus definitio Ejus natura in quibus conſiſtat, art.1. *Ejus authoritas à quibus dependeat*. 1.*A Deo*.2.*A jure gentium*,art.2. 3. 4. 5. *Quomodo ex majeſtate ejus poteſtas fluat & poteſtatis deſtinctio in Realem & Perſonalem*,art.5. *Bodini ſententia de poteſtate Magiſtratus redarguitur*, art. 6. *Quæ jura Magiſtratus majora*, *quæ mino-*

minora, art. 7. *Quidnam ſit officium Magiſtratus*, art. 8. *Barclaii diſtinctio inter Poteſtatem & Officium Magiſtratus eliditur*, art. 9. *Macchiavelli de abſoluta Magiſtratus poteſtate ſententiam erroneam eſſe oſtenditur*, art. 10. 11. *Quænam optima ad Magiſtratum perveniendi via*, art. 12.

CONSILIVM & CONSILIARIVS. pag. 246

Eorum neceſſitas, art. 1. *Ob quam rationem ſumma ſit conſilii de Republica capiendi difficultas*, art. 2. *Quibus mediis recte formanda ſint conſilia*, art. 3. *In quibus conſiſtat bonum conſilium*, art. 4. 5. 6. *Non ſuo unius conſilio fidendum*, art. 7. *Quæ requirantur in bono conſiliario*, art. 8. 9. 10. *Quodnam ſit maximum Reipublicæ fundamentum*, art. 11.

DEMOCRATIA. pag. 251

Ejus difinitio & deſcriptio, art. 1. *Quæ cautiones requirantur ad legitimam Democratiam*, art. 2. *Non eſt ſtatus natura ſua imperfectiſſimus*, art. 3. *Non poſtulat honorum æqualitatem*, art. 4. *Non pugnat cum ſtatu nobilium*, art. 5. *Ejus duæ ſpecies libera & adſtricta*, art. 6. *Quomodo temperanda*, art. 7. *Quomodo præcavendum*

dum ne in Ariſtocratiam aut Monarchiam degeneret, art. 8. *Quodnam optimum Democratiæ temperamentum ex mente Ariſtotelis*, art. 9.

ARISTOCRATIA. pag. 256

Ejus definitio, art. 1. *Idem quod ſtatus optimatum*, art. 2. *Legitima Ariſtocratiæ requiſita quæ*, art. 3. 4. *Quid munus Decani*, art. 5. *Silentium, quare neceſſario in optimatibus requiratur*, art. 6. *Qui requiratur numerus*, art. 7. *Quomodo optimates*, art. 8. *Quare potius ex indigenis quam peregrinis eligendi*, art. 9. *Quare Ariſtocratia optima Reipub. forma ſit*, art. 10. *Quæ ſit Ariſtocratia ſimplex*, art. 11. *Quæ mixta: quæ cauſæ converſionis Ariſtocratiæ reſpectu optimatum*, art. 14. *Reſpectu ſubditorum*, art. 15. *Quomodo Ariſtocratia differat à Democratia*, art. 17.

DE EPHORIS. pag. 267

In quem uſum conſtituantur Ephori, art. 1. *Eorum varii tituli*, art. 2. *Eorum neceſſitas in Repub. Qui Imperii Germanici Ephori ſint*, art. 3. *Qui eos conſtituendi modi*, art. 4. *Quæ in electione Ephororum obſervanda*, art. 5. *Quale Juramentum præſtent Ephori*, art. 6. *Eorum diviſio*, art. 8.

art. 8. *Quinam generales Ephori*, art. 9. *Quinam ſpeciales. Quinam in Belgio Ephori*, art.10. *Eorum officium*, art.11.12. *Quam poteſtatem habeant*, art.13. *Bodini error in attribuendo Gall. Regi illimitatam poteſtatem*, art. 14. *Quatenus ſeſe Jurejurando obſtringant Reges, & Germania Imperator*, art.15. *Qua porro ad munus Ephororum pertineant*, art.16.17.18. 19.20.21.22.23. *Magiſtratus cura in cohibendis Ephoris*, art.25.

DE SEIANISMO. pag.279

Quid ſit, art.1. *Vnde nomen acceperit*, art.2. *Quinam Seianiſmum profeſſi fuerint*, art.3. *Quinam Seiani ſint dicendi*, art. 4. *Quibus artibus ad tantam potentiam perveniant Seiani*, art. 5. *Deus puniturus Reipub. laxat fræna ſceleratis hominibus*, art. 6. *Quatenus talis Seiani divina ira inſtrumenta ſint*, art.7.8.

DE NOMINIBVS, TERMINIS, TEMPORIBVS IMPERIORVM FATALIBVS. pag.288

Hujuſcemodi dari nomina, tempora, loca Imperiis decretoria probatur, art. 1. *Quomodo illud intelligendum*, art.2. *Ferdinandus nomen Hiſpanis auſpicatiſſimum*

mum, art.3.4.5.6.7.8.9.10.11. *Nihil in Hiſpania Philippis, in Germania Ferdinandis infelicius eſt*, art.12.13.14.15.16. 17.18.19.20.21. *Richardus nomen Anglis fatale*, art.22.

DE ACADEMIARVM PER OCCIDENTEM INSTAVRATIONE. pag.302

Quando & à quibus deletæ ſint, art.1. 2.3.4. *Quis & quo tempore eas inſtauraverit*, art.5.6. *Quæ immunitates Academiis conceſſæ ſint*, art.7.8.9.10.11.12.13. 14.15. *Quanta ab eo tempore principum & Regum æmulatio fuerit*, art.16. *Academiarum utilitas*, art.17. *Quanta ſtudioſorum frequentia fuerit Pariſiis & Oxonii ſub Henrico* III. *Angliæ rege*, art.18. *Quæ contentio ob Pragenſium Academiam, & quæ ibi Studioſorum multitudo*, art.19. *Qua gaudeant Juriſdictione Germaniæ Academiæ*, art.20. *Quænam præcipua humanæ ſocietatis præſidia*, art.21. *Quando & à quo Typographiæ artificium inventum ſit*, art.21. *Quæ humaniorum ſtudiorum incrementa ſubſequuta ſint*, art.23.24.25. *Memorabilis Capnioni Hiſtoriola*, art.26. *Quando ad ſummum pervenerit veſtigium eruditio*, art.27.

Quid

Quid deplorandum ſit hodie in Academiis, art. 28.

AMERICANA HISTORIA VETVS. pag. 329

De priſcis Africa incolis, art. 1. *Sub quibus regibus prima in Americam navigatio ſuſcepta*, pag. 320. *Quomodo Carthagenienſes primi imperio Atlantico potiti, Americamque poſſederint*. p. 321. 322. 323. *Quomodo illam ſedem dereliquerint*. p. 324. 325. *Quæ gentes eam poſtea habitarint*, p. 326. *De varia incolarum Americæ fortuna, eorumque contra gigantes victoria*, p. 327. 328. 329. 330. 331. *Vnde Mexicanarum nomen fluxerit*, p. 332. *Quæ bella geſſerint, deque illorum idololatria*, p. 333. 334. *Tepanecæ & Culhuani in quæ regna diviſi, eorumque miranda vaſtitas*, p. 334. *Mexicanorum cum Chalcis & Tepanecis pugna*. p. 335. *Quomodo & quare ad Triapanam inſaluberrimum locum migrare juſſi fuerint Mexicani*. ibid. *Malunt cum hominibus quam cum peſtilentia & cœlo bellum gerere*, p. 336. *quomodo illam regionem repurgarint & fertilem reddiderint. Quomodo & quare filiam Regis Culhuacanæ ſibi reginam & deo matrem popoſcerint Mexicani. Et miranda idololatria ejus*

rei hiſtoria, p. 336. 337. *Quo ulterius progreſſi ſint Mexicani, de eorum ſuperſtitione in ſtabilienda ſede*, p. 338. 339. *Qua induſtria & quo anno Regiam ſedem conſtituerint, urbem Tenoxtitlan*, p. 340. *De Friſlandia antiqua & Eſtotilandia quid opinandum ſit*, p. 341. *Quomodo & quando fortunatæ detectæ fuerint inſulæ*, p. 341. *Inſulæ extra fretum Geditanum à quibus detectæ & occupatæ*, p. 341. *quod earum incolæ uſum ignis ignoraverint*, p. 342. *Inſulæ Lanzarotta, Fortaventura, Gomera, & Ferra à quibus occupatæ & poſſeſſæ fuerint*, p. 342. *Qui inſulas Palmam & Teneriſam occuparit*, p. 343. *Inſulæ Palmæ ſitus & natura, de miraculoſa illius inſulæ arbore*, ibid. *Quamdiu Canaria reſtiterit & invicta manſerit, cui tandem ſubjecta fuerit*, ibid. *Quomodo populus Mexicanus Acamapixtli Regem crearint.* p. 344. *legatorum populi Mexicani oratio ad Regem Culhuacanæ*, p. 345. *ejuſque Regis reſponſum*, p. 346. *Quo apparatu & qua oratione Regem ſuum exceperit populus Mexicanus*, p. 347. *quam felix ſucceſſerit Mexicanis novi Regis electio*, p. 348.

DE SARACENORVM ORIGINE ET REBVS GESTIS.

Quando & quibus parentibus natus ſit Macho-

Machometus, p. 348. *Quando & quorum auxilio Alcoranum ſcripſerit*, p. 349. *Saracenorum origo*, ibid. *Hieroſolyma à Saracenis devaſtatio*, ibid. *Syria magnam cladem accepit. Saracenorum à Romanis defectio. Maximam Africæ partem occupant. Inſulam Rhodum expugnant, quas ingentes opes ibi obtinuerint*, p. 350. *Conſtantini* IV. *cum Saracenis pacificatio*, p. 351. *Eorum in Siciliam eruptiones, & Conſtantinopolis obſidio*, p. 352. *Sarraceni à Romanis victi. ſecunda cum Rom. pacificatio*, p. 352. *Quibus conditionibus Saraceni pacem cum Iuſtiniano inierint*, ibid. *Quando Africam rurſus occuparint*, p. 353. *Miſera Saracenorum conditio in obſidione Conſtantinopolitana biennali. Hiſpaniam invadunt. Saraceni quos Califatus conſtituerint*, p. 354. *Caroli Magni cum Saracenis prælium*, p. 355. *ejus res contra Saracenos præclare geſtæ*, p. 356. *Nicephorus Rex Conſtantinopolitanus Saracenis tributarius fit. Sardiniam & Corſicam deprædant*, p. 356. *Cretam occupant, in Siciliam & Palæſtinam irrumpunt. Ex Sicilia expelluntur. Sabæ Regis Maurorum res geſtæ*, p. 357. *Romam deprædantur, Anconam incenderunt, ex portu Oſtienſi eorum repetita in Italiam irruptio, cum Perſis bella gerunt*, p. 358.

Ex Sicilia penitus expulſi, p. 359. *A Carolo Craſſo Italia arcentur. Niceti de Saracenis reportata victoria. Apuliam & Calabriam invadunt. Ad fluvium Lyrim vincuntur. Sagitus Saracenorum dux cum toto exercitu deletur*, p. 360. *Genuam depopulantur*, & *in Africam revertuntur, eorum claſſis exuritur. A Radimiro fuſi. Ad Lyrim fluvium ſuperantur. Beneventum incendunt. Ab Othone primo Italia pulſi. Conſentiam recuperant. Eis Creta Inſula eripitur*, p. 361. *Othonis* II. *cum Saracenis conflictus. Alphonſus Hiſpaniæ* R. *in Obſidione Viſei interiit. Capuam capiunt & Barcim obſident. Hieroſolymam occuparunt. Capua expelluntur*, p. 362. *Templum Hieroſolymitanum diripitur. Fœdus ineunt cum Imperatore Conſtantinopolitano. Capua Saracenorum obſidione liberatur. Calabria ejiciuntur. Ad Cimtum multi Chriſtiani ab eis occiſi. multi Chriſtianorum exercitus confluunt ad pellendos Saracenos Hieroſolymis*, p. 363. *Chriſtiani fuſis Saracenis Heracleam & Taſſum recuperant. Eoſdem ex Antiochia expellunt*, & *ingens prælium commiſſum in Agro Hieroſolymitano*, p. 364. *Gotfridus Bolonius Rex Hieroſolymorum coronatur*, p. 365. *Aſcalonem cœpit, eodemque*

tem-

tempore moritur, p. 366. *Eius ſucceſſor Balduinus magna ſuorum ſtrage vincitur. Ramla mœnia à Saracenis diruuntur. Boëmundus Apuliæ Rex capitur à Saracenis & à Tancredo nepote ſuo liberatur. Saraceni Ptolomaidem capiunt à Chriſtianis. magna eorum pars deletur*, p. 366. *Balduinus Berythum & Sidonem ſubigit. Saraceni Hieroſolymitarum copias fugant. Tancredus à Saracenis vincitur & occiditur. Saraceni inſulis Balearibus à Piſanis eijciuntur. varia Piſani contra Saracenos bella geſſerunt*, p. 367. 368. *Balduinus ſecundus Perſarum Regem devicit. Damaſci regem in fugam vertit, ſed tandem capitur*, p. 369. *Hic tandem inſidiis è carcere liberatus ad ſuos revertitur. Venetorum claſſis Saracenis moleſta, unde Venetis privilegia conceſſa. Chriſtiani magnas victorias conſecuti. Rex Aſcalonitarum à Balduino reprimitur*, p. 370. *Balduino* III. *ſuccedit Fulco. Hic ab hoſtibus fugatur & iniquas conditiones accipere cogitur. Chriſtiani contra Ægyptios felices. Aſcalon recuperant. Fulco in venatione mortuus. Saraceni devincunt Edeſſam & Meſopotamiam*, p. 371. *Balduinus* III. *Gaza & Aſcalone Saracenos eijcit. Emanuel Conſtantinopolitanus Imperator Chriſtianorum exer-*

citus inſidiis fatigat. Rogerius Saracenos ſibi tributarios reddit, p. 372. *Conradus ſecundus contra Saracenos infelix. Ludovicus Rex Galliæ contra Saracenos milites cogit. Bellum contra infideles ex Flandria, Anglia, Lotharingia inſtituitur.* p. 373. *Veneti in Aſiam contra Saracenos proficiſcuntur. Hiſpani Almariam & Toſtoſam recuperant. Raimundus Antiochiæ Rex à Saracenis deletus. Balduinus Ægyptios fudit. Hiſpani à Saracenis profligati.* p. 374. *Balduinus multis civitatibus pacem reddidit. Balduino mortuo ſuccedit frater Almericus, Damiatam obſedit. Saracenorum in Hiſpaniam excurſiones. Almerico defuncto Balduinus ſurrogatur. Hunc Saladinus vicit*, p. 375. *Filia Regis Saracenorum à Rege Siciliæ capitur. Chriſtianæ Religionis profeſſores Hieroſolymitani vincuntur. Vrbs Carthago à Saracenorum Rege Mauſamuntho inſtauratur*, p. 376. *Guido Balduinis ſucceſſit. inter Guidonem & Raimundum Trepolitanum Comitem diſcordia. Chriſtianorum ſtrages. Rex Guido capitur. Trepolitanus Comes moritur. Hieruſalem Regi Saracenorum traditur. Vniverſam Iudæam Chriſtianis eripiunt*, p. 377. *Multi Europæ Principes Chriſtianis in Iudæa auxilium ferunt. Fridericus* II. *Selaphium*

amnem

amnem ingreſſus moritur, p. 378. *De hujus Friderici mortis genere quid ſtatuendum*, p. 379. *Guidonis conatus Saladini aſtutia eluduntur. Franciæ & Galliæ Rex cum Guidone conjunctus Aconem oppugnant, & expugnant. Galliæ & Angliæ Reges ut & Veneta claſſus ſimultate orta domum revertuntur. Saladinus moritur*, p. 380. *Saraceni potiuntur Regnis Granatæ & Caſtellæ*, p. 381. *Henricus Imperator exercitus contra Saracenos inſtruxit. Eo mortuo duces in Germaniam revertuntur. Saracenorum capta Ioppe in Chriſtianos ſævitia. Africani Saraceni utramque Hiſpaniam devaſtarunt, & in Galliam uſque excurrentes*, p. 382. *Fridericus* II. *novam contra Saracenos expeditionem decrevit. Obſident Damiatam. Hiſpaniæ Reges repreſſerunt Saracenos. Damiata Sultano reddita. Ea aliquoties à Chriſtianis expugnata, unde Harlemenſes magnam reportarunt gloriam. Fridericus inducias cum Saracenis pepigit. Chriſtianorum exercitus apud Gazam & Ptolomaida occubuit*, p. 383. *Ferdinandus Hiſpan. Rex Saracenos Hiſpania pellit. Saraceni Chriſtianos in Syria vexant, & ſepulchrum Chriſti ignominioſè defœdant*, p. 384. *Ludovicus Galliæ Rex Chriſtianis in Syria opem fert. Saracenis Damiatam*

miatam eripit, quomodo à Saracenis captus ab iiſque iterum liberatus ſit, p. 385. *Baleares inſulæ ipſis à Duce Tarraconenſium ereptæ*, p. 386. *Hiſpaniæ Reges diſcordes. Factio inter Venetos & Genuenſes. Chriſtianos Syriæ pellunt Saraceni. Bodegarus Antiochiam vaſtat*, p. 386. *Ludovicus Rex Galliæ cum filiis contra Saracenos proficiſcitur, ejus exercitus peſte affligitur, & cum filio Iohanne moritur. Armenii & Scythæ ad Gamalem delentur. Tripolis ab Ægyptiis incenditur. Chriſtiani in ſervitutem abiguntur. Tyrus, Sidon, Tripolis & Berithus ab iiſdem complanantur. Ptolemais capta & diruta*, p. 388. 389.

FINIS.